











VI. et VII
MAC

TRIFAVVS MACEDI COMPOSITVS EX

Panegyrico, Elogio, Poemate
ROMÆ CONDITVS
Patauij expreſſus:
Illuſtriſſimo, Reuerendiſsimo, Excellentiſsimo
D. D.
ALOYSIO A SOVSA
Archiepiſcopo Bracharenſi
Primati Hiſpaniarum
Ad Papam
INNOCENTIVM XI.
Legato Extraordinario Oblatus.





LECTORI AVIDO



HVnc Trifauum Romæ hoſpes apud Archiepiſcopum Primatem Legatum æſtiuo tempore ſub Syrio, aſſo Sole, ſucciſiuis horis condidi. Mirum inter ſpinas curarum nanciſci flores, vnde mel exiſteret. Tu liba, & ſi ad palatum eſt, guſta; & omninò lege quæ præfor.



PROŒMIVM
PRO
PANEGYRICO.



NEmo eſt, opinor, quin ſciat tria eſſe genera dicendi, Iudiciale, Deliberatiuum, Demonſtratiuum. De quibus Cicero lib. 1. de Inuent. *Ariſtoles*, inquit, *tribus in generibus rerum verſari Rhetoris officium putauit: Demonſtratiuo, Deliberatiuo, Iudiciali*. Duobus omiſſis, Demonſtratiuum, quòd & *apodicticum* dicitur laudem, vel vituperationem complectitur, vti lib. 8.

Quin-

Procemium pro Panegyrico.

Quintilianus obſeruat. Oratio laudantis, *Laudatio*: vituperantis *Inuectiua* nominatur. Laudatio autem duplex eſt: altera quæ in Curia, ſiue Foro: altera quæ in conuentu vniuerſali haberi ſolet, & Panegyricus à *Panegyri*, quæ ad nundinas conuenit, appellatur. Equidem animaduerto priſcis, & heroicis temporibus proprias fuiſſe laudationes, non viuentium, ſed mortuorum, quare oratio funebris laudatiua, *Laudatio* Latinè dicitur, quod procul erat ab adulatione, & aſſentatione. Panegyricos autem extincta libertate, ingruente ſeruitute, feruente ambitione cœpiſſè, quòd à ſeruiendi ſtudio, & pruritu adulationis profecti. Quod genus tractum ἀπὸ τοῦ δούλου. Errat quippe oratio aſſentatione plena ſeruili, qua Principi Orator videbatur, quaſi paraſitus, aſſentari. Certè Auguſtinus cùm de Panegyrico dicendo Imperatori cogitabat, à mendacio ſibi, ab adulatione audientibus metuebat, lib. 6. Conf. cap. 6. Id obſeruandum, quòd Oratio laudatiua

Prin-

Procemium pro Panegirico.

Principis *Dici*, non aut componi, aut ſcribi Latinè ſolita, cùm reliquæ orationes, etiam demonſtratiuæ, *Haberi* propriè dicerentur. Hinc Panegyricus *Dictus* oratio *habita* inuenitur. Non defuerunt tamen optimi Principes, qui laudari citra adulationem potuerunt, qualis extitit Traianus, cui Plinius: Conſtantinus, cui Nazarius: Theodoſius, cui Pacatus: Gratianus, cui Auſonius Panegyricos dixerunt. Quòd attinet ad ſtylum. Is debet eſſe grandis, ſublimis, plenus, exaggeratus: vtpotè qui in ſummo dicendi ;genere verſetur, longè ab infimo, medioq; ſiuè tenui, ac temperato diuerſus, pro dignitate perſonæ laudandæ, & vniuerſitate conuentus ad Panegyrim vndique confluentis, cuiuſmodi eſt Ciceronis in oratione pro Lege Manilia, quæ Pompeij, & pro Marcello, quæ Cæſaris eſt iuſta laudatio, Panegyricum ſapiens, ſi in panegyri, &,nundinis haberetur. Ad hanc ego formam, normamque accommodaſſe puto ſuum, quem meditabatur, Panegyricum,

ricum, Augustinum, quem maximè Ciceronianum Oratorem fuisse autumo, idque legendo experior, cùm eius opera, quæ in primo habentur tomo magna mei animi voluptate euoluo, in quibus ille recens à scholis rhetoricis natiuum dicendi habitum retinebat. Hoc ego styli genus secutus in meis Panegyricis grandi semper oratione sum vsus, plena figuris, tropis, sententijs, non tam acutis, & subtilibus, quàm maturis, & grauibus: acer, & vehemens adhibeo verba rotunda, & sonantia, quæ sensus exprimant, & affectus moueant, & orbem quendam laciniosæ dictionis efficiant. Genio indulgens meo laxare habenas, & impetu animi ferri, solui, effundi, interdum ardere, & ebullire, & quiddam poeticum præ me ferre. Confero laudationem ad eum habitum, quem in Oratore sublimi, ac perfecto describit Cicero, in quo desiderat *vocem tragædorum, & gestum propè summorum actorum.* Has tu, siue virtutes, siue vitia, vt vt velis, in meis Panegyricis inuenies, quorum ingens

gens

gens multitudo fuit. Eminent quinque: dicati quinq; Summis Pontificibus Vrbano VIII. Alex. VII. Clementi IX. Clementi X. Innocẽtio XI. cui nouissimum dixi, qui mirè in vulgus acceptus fuit, & quod palmare puto, ab Illustriss. D. Augustino Fauorito Pontifici à secretis Principũ Epistolis Viro latinissimo, palàm in Aula Pontificia laudatus. Nec impares iudico alios, qui à me dicti sunt: de Lusitania Vindicata, de Peste compressa Romæ ab Alex. VII. Põtifice, de Ictu lethalis globi vitato ab Ioanne IV. Regẽ Lusitaniæ, de Pace parta post bellum Creticũ à Veneta Republica. Inter hos clamores fecit Panegyricus Augustæ Reginæ Sueciæ Christinæ, cùm Romam ingressa Catholicæ Fidei professionem cum magnifico triumpho coniunxit, quem reperies in eo libro, quem inscripsi, eique consecraui, *Pallas Togata*. Nec prætereo illas Epistolas Dedicatorias, quas Tomis à me in lucem editis de diuersis facultatibus, qui extant, præfixi; eas ego in Panegyricis numero. Lege, si vacat, illã Tomi de Cortina, & Pro-

pugnaculo Lusitano Gallico: vtrãq;dicatã Marchioni Nisensi Archithalasso Lusitaniæ, Domino Vasquio Aloysio Gamæ, in cuius cõtubernio, cùm esset Legatus, Parisijs fui. Et illam tomi in primum sententiarum sacratam Regio Duci Sabaudiæ, & aliam Tomi in secundum in quo Cardinalis Otthobonus, & tertiam in Tomo de Scholis Theologicis, in qua Cardinalis Albizzius Viri huius æui doctrinis, & virtutibus celeberrimi, commendãtur. Necnon, & illam aliam Tomi de Clauibus Petri Alexandro VII. directam: ac imprimis eam Cardinali Richelio missam cum Libro de iure succedendi in Regnum Lusitaniæ, in quibus Tu videas spirantes quasdam Panegyricæ eloquentiæ Imagines. Nec verò tu in stylo meo modum, & temperationem desideres. Scio sedatè, scio molliter, scio pacatè incedere, cùm oportet, ac decet: ac vt altiùs plerumque volem, me tamen interdum demitto, & humum rado. Vt habenas sæpè laxem, nonnunquam tamen premo, & frena mordeo, meq; con-

neo.

tineo. Vetera ſector, & cocta; ſed noua, & cruda non damno, ijſque guſtum acuo, ne torpeat. Non ſum, aut tam delicati, aut tam faſtidioſi ſtomachi, ut acerba reiiciam. Terentij, Tullii, Liuii vetus amator, Plauti, Arbitri, Apuleii, phraſim non odi, parcè iis & in loco vtor. Vbique, & maximè, quo titulo fruor, & beor, Ciceronianus audio, & quidem iure. Ciceroni vero noua interdum, & florida placent; ſonat ille plerumque, & tonat, imo, & fulminat: nec tamen non aliquando argutat, & garrit. Genium ducem ſecutus ingenio indulſi meo. At libero, opponis, & acri, & vehementi. Fateor, ſed non deſtituto doctrina, & aſſiduitate mollito, & ſtudioſo labore ſubacto. Non me latet nonnullis videri ardentiorem; ſed illos deprehendo frigidos, & gelidos. Suam quiſque faciem habet. Ego mea memet prodo, eaq; noſci malo, quàm impoſita, & fucata, quæ frangitur in alienam formam. Apto, & congruo vtor veſtitu, quem ſi mutem ineptus, & inſulſus æſtimabor. Ament alij lenta lenti, tepida tepidi, ego propera, & ar-

dentia feruidus; ita ſum comparatus, natura, diſciplina, & vſu, nolo me aliorum modulo metiri. Solē tollit de rebus humanis, qui de Scholis Rhetoricis aufert diuerſitatem. Periret venuſtas, ſi omnia vnius, & eiuſdem coloris eſſent. Harmonia conſtat ex diſſonis: abſonum eſſet, quod prorſus eſſet conſonum. Varietate delectamur; alia vox eſt acuta, alia obtuſa, alia plenà, alia grauis: alia oratio ſummiſſa, alia temperata, alia media, alia ſumma. Oportet noſſe, & ſeruare diſcrimina. Nunc ad inſtitutum. Panegyricos compoſuere olim, & hodiè componunt multi. Vnum eorum omnium, & Laudatiuum eſt genus. Diuerſa tamen eſt ratio ſtyli. Aliter ſcribit Plinius, aliter Pacatus, aliter Nazarius, aliter Eumenius, aliter Mamertinus. Quiſque ſuo Marte vtitur, ſuo genio ducitur. Plinius acutè ſubtiliter, eleganter, politè. Pacatus acriter, grauiter, vehementer, exaggeratè. Idem fermè eſt ſtylus Nazarii, nec multum differt Mamertinus. Eumenius inter Plinium fertur, &

Na-

Nazarium. Iniquus eſſet, qui vellet omnes ad eamdem dicendi rationem redigere. At præſtaret Plinium imitari, qui Princeps habetur. Non inficior Principem, ſed nego Ducem; nam ſicut oris, & corporis habitus eorum diuerſus erat, ità & ſtylus, methoduſque dicendi. Frigeret Nazarius, gelaret Pacatus, ſi Pliniano more dicerent. Ardentiores erant, & acriores. Alia vtrumque decebat oratio, plenior, ſonantior, & rotundior. Fluit Plinius ſedatè, molliter, temperatè intra alueum ſe continet, ripas nec radit, nec egreditur. Pacatus, & Nazarius maiore vi ſe euoluunt, & impetu quodam feruntur, deſerunt alueum, ripas excauant, & obruunt. Equidem fateor meum ſimilius eſſe Pacato, Nazarioque ingenium; delector grandi, laciniosa, & exaggerata dictione. Senſus volo acutos, & ſubtiles, ſed numeros plenos, & ſonantes. Nil detraho Plinio. Addo. Placent mihi eius aptæ, ſubtileſque ſententiæ, ſonitus tamen deſidero; cùm

eum lego admiror, & admiratione defixus hæreo, ſed minus moueor, minus afficior: cùm lego Nazarium, & Pacatum, minus miror, ſed magis moueor, & interdum clamo, & pluteum cædo, ſicut mihi legenti orationes Tullij ſolet contingere, quem ſummum laudatorem, & vituperatorem puto, & Principem in genere demonſtratiuo, eiuſque ſenſus, & ſonitus amo, & miror, & ſi poſsum ſequor. Plinium perfectum in ſuo genere oratorem duco. Longè tamen alia eſt Ciceronis elocutio, quæ in altiori, & ſublimiori genere verſatur, ideſt ſummo, copioſo, & vehementi. Plinius totus eſt, & purus, & putus Atticus. Diceret, me iudice, Plinius meliùs, ſi pleniùs. Nec mihi antiquiſſimum fuit eius ſtylum profiteri, qui *Iunior* dicitur. Tullium ſequi malui, qui priſci æui ſummus orator extitit. Lyſiæ Græci, & Cottæ Latini ſubtilitates Plinio tribuo: Craſſi, & Sulpitij ſonitus Pacato, & Nazario relinquo. Iſocratē ſi referat Plinius, alij duo Demoſthe-

nem,

nem, & Tullium repræsentant. Non inficior tamen me à Tullio interdum recedere, & locutiones quasdam nouas, & minus vsitatas vsurpare; id ago dedita opera, vt vulgo eruditorum huius ætatis placeam, quibus ea audacia, & propè insolentia arridet. Miscui tamen vrbanas delicias, & suauitates Plinij, & lenocinia Pacati, Nazariique pigmenta, cum illa exotica, & peregrina dictione. Placuit illi Plinianæ pulchritudini addere fucos, & calamistros Eumenii, Mamertini, & Ausonij; nec solùm pulchram Helenam induxi in Scenam, sed ornatam etiam, & opulentam. Nolo elegantem orationem destitutam odoribus, & vnguentis, vt tamquam honesta mulier oleat nihil. Volo vt vnguentis delibuta, & odoribus referta Myrothecium Isocraticis, & Aristotelis arculas exhauriat, eamque fragrantiam excitet, quæ amorem audientium accendat. Talis visa est Romæ præstantissimis quibusdam lemniscati capitis ingenia quę circumfertur in meo Schema-

tē Sacræ Romanæ Inquiſitionis in Baptiſtam Nannium, Procuratorē S. Marci, quæ maximo fuit plauſu excepta: cui ſimilem iudicarunt aliam Sebaſtiani Piſani Veronenſis Epiſcopi præfixam Myrothecio morali. Noſti Lector meum inſtitutum. Quòd ſi improbes, excuſabis temeritatem. Ingenuum me ſaltem habebis, & candidum, qui tibi meam mentem detexi, meum aperui animum, meum expoſui conſilium. Proficiat hoc ſaltem vt me clementiùs accipias, & me mitiùs condemnes. Arbitrii tui erit de meo Panegyrico, meque auctore iudicare.

PANEGYRICVS

Illustriss. & Reuerendiss. ac Excellentiss. D.D.

LVDOVICO A SOVSA

ARCHIEPISC. BRACHARENSI

Hispaniarum Primati, Regij Principis

LVSITANIÆ PETRI

apud Romanum Pontificem

DOMINVM NOSTRVM

INNOCENTIVM VNDECIMVM

Legato Extraordinario.

Dictus Romæ

A P. Fr.

FRANCISCO à S. AVGVSTINO MACEDO

Minoris Obseruantiæ, Lusitano, Publico

Patauij Professore, & Veneto Ciue.



PATAVII, MDCLXXVII.

Apud Cadorinum, Sup. Perm.



PANEGYRICVS.



Emoto anxiæ prolixi æui expectationis ſipario in hac tandem mundi ſcena, Te, Ludouice Souſa, altioribus elatum cothurnis, teſſellatum aſtris pauimentum laciniosſo verrentem ſyrmate, & auguſtius quàm pro humano habitu præferentem ſpecimen, extremus hic deflectentis ad metam noſtræ huius ætatis actus intuendum iuxtà, & admirandum expoſuit. Non tot colorum lenocinijs arcuatus ille nubium Pauo, cùm aduerſum feliciter patitur Solem, blanditur oculis. Non tot ſcintillantium

ſuda nocte luminum facibus, cœleſtis ille Argus nitidas illuſtrat excubias. Non tot ſe picturat ſurgentis ex imo Solis variegatis radiorum pigmentis roſea diei Nuncia, quot tu ornamentis virtutum instructus, miraculo, quàm ſpectaculo propior, è Superis ne ad nos veneris? an è nobis ad Superos ieris? relinquis ambiguum. Sunt qui tecum in cunis cubitare viderint ſydera, & quæ fixa alijs genituras aſſignant, à te refixa petere, & inuerſo naturæ ordine, fata tibi non dare, ſed reddere. Tua inter crepundia crepare ſtellarum audita ſunt baſia, lacrymulis tuis irrorare, riſibus arridere, tecumque grata vice colludere. Quin & viſæ ſe explicare Zonæ, & in faſcias verti plicatiles, ac te arctè præ amore, & altè pro honore cingere, & lunulata nocturni principis luminum cornua tuis inſinuari plantis, & Arcadium præſtare cunabulum, ac priùs lumen premere, quàm pulue-rem. Ea Souſarum nobilitas eſt, vt media, & extrema tempori, initia æter-

nitati

nitati imputet. Alij nobiles ceras, & imagines intra fumum iactant; tu Lunis, quæ immortales ignes alunt, & noctem tanquam funalia vincunt, meritò gloriaris. Hæ cùm hiant, in acumen cornuum eunt, cùm globantur orbem efficiunt: ſymbolum ingenij tui, ac doctrinæ encyclopædicæ, quam iuuenis præſtitiſti. Iam tum Vniuerſitates oppignorabas ob eruditam diuinatione infantiam, quæ ſi per ætatem linguæ vſu carebat, rerum ſignificatione abundabat. Quaterna Luna veritatem firmitate ſolidauit: in quadro ſita, leuitatem, & inconſtantiam Fortunæ argutabat. Stemma tuum non illuſtre modò, verùm etiam Sacrum, ſcilicet Stigmatibus Chriſti in clypeo locatis (ea ſunt regia Luſitaniæ arma) inſertum: aſſerta tua è Regio ſtipite proſapia, quę deriuato Seruatoris ſanguine præclaram nobilitatem reddiderunt Regum tuorum, qui nati ad ſalutem ſunt, cùm priuatam, tum publicam procurandam. Hinc nouorum orbium exploratio: hinc

in ijs Euangelij propagatio, & Sanctæ Crucis infixio, germana maiorum tuorum occupatio. Quid? quòd insignis ille Heros, à quo tu octauus trahis originem, Lupus Diasius Sousa, inclytus Christi Ordinis Magister extitit: qui honor culmen Honorum est, & Regiarum apex Coronarum. Viden? vt in te, Ludouice, profluentes sanguinis Christi, & Sousæ confluxerint? ac è diuersis fontibus diuortia riuorum hinc inde manantia consortium fecerint? Nec aliena laudo; quòd acceptum à maioribus sanguinem clariorem virtutibus reddidisti. Collectus in venis tuis intumuit vehementiùs, ac ebulliit generosiùs. Rubuit, nec erubuit. Arsit vltra lucem, & fulsit. Hoc à tuis Lunis abiisti diuersus: Luna quippe accipiens à Sole lucem, obtundit, & minuit radios, nec æquat fontem. Tu quem accepisti splendorem auges, & amplificas, Solemque vltra Lunam esse reprobas. Aspera in armorum Palæstra olim Domus Sousarum, ac seuera Magistra fuerat. Multa in belli-

co puluere veſtigia impreſſa reliquerat , quæ nobilis nepotum poſteritas relegens Martiæ virtutis orbitam confecerat , & honeſtis ſordidata maculis natiuam generis pulchritudinem quibuſdam quaſi venuſtis gelaſinis diſtinxerat. Te tamen illa, quæ res humanas arcano conſilio regit prouidentia , iniecta diuinitùs manu apprehendit , retractumque à militari negotio ad litteratum otium tempeſtiuè traduxit . Extabant in tenero corpore indicia quædam , & notæ, futuræ ſapientiæ certa præſagia. Argutum caput , leuis frons, charopi oculi, arcuata ſupercilia , naſus aquilinus, caſtigata ſpecies oris, & corporis ſpem conceptam ſignis affirmabant. Ergo togatis in prætexta ſtudijs addictus humaniorum rudimēta litterarum feliciter poſuiſti, ſed nihil præter ætatem rude ad tyrocinium attuliſti; itaque breui expolitus rudiarium egiſti, teque ad Philoſophiæ ſtudia comparaſti. Commigrarant iampridē anteà Conimbricam Athenæ cum Atticis Gratijs, & Muſis, & omni

lit-

teraria ſupellectili, præter Noctuas à loco, vbi nidulantur aquilę, alienas. Eò te mollioribus pennatum plumis nobilis diſcendi aura incitauit. In Vrbe floridiſſima, ſpinoſos Dialecticæ tramites confeciſti: arcanos Phyſicæ ſinus penetraſti: cæli, ac mundi obliquos mæandros, & tortuoſos anfractus explicaſti: abditos, & implicitos Metaphyſicæ labyrintos ſubtilis filo ingenij euaſiſti, omneſque perfecti Philoſophi numeros abſoluiſti. Tuum erat ſtudere impigrè: quæſtionum fibras inſpicere: difficultatum neruos tentare: controuerſiarum venas tenere; argumentari acutè, reſpondere ſubtiliter, refellere aptè, confutare acriter, & venatica ſolertia occulta indagare, abdita inueſtigare, inuenta prodere, ac expedire, in æqualibus inuidiam, in magiſtris admirationem excitare. Hac ratione ſtudiorum curriculum confeciſti, & anno tertio Baccalaureus, quarto Licentiatus (ea ſunt nomina) euaſiſti. Concors omnium ſententia fuit, ſuſcitata à te Conimbricæ Attica illa

mi-

miracula Anaximenis, Cleantis, Zenonis, Chryſippi, Platonis, Ariſtotelis, Speuſippi, Xenocratis: quin, ſi vera eſſet palingeneſis Pythagoræ, non vnius in te, ſed horum omnium animas tranſmigraſſe, auditorum vulgus affirmaret. Nouas itaque tempore Athenas, doctrina veteres reddidiſti. Acerba adoleſcentia, macerata ſtudijs, matura ante annos extitit, & præuenit dignitate canos, quos ætas immatura contulerat. Terminum glorioſum Philoſophiæ curriculo impoſuiſti, cùm decurſo quadrienni ſpatio, totius doctrinæ ſpecimen palàm in litterata *Menſa* more academico præbuiſti; ſic appellare ſolent noſtrates vltimum illum publicæ litteraturæ actum, die ſolido ad noctem vſque protractum, quem tu ſplendore doctrinę in Solis Menſam excluſis Solis oſtijs traduxiſti. Coronaſti ſtudia Philoſophiæ Laurea pluſquam Apollinari, dum caput tuũ in ætate viridi Pileo villis cæruleis diſtincto, ac fimbriato plaudenti Academiæ redimitũ repræſentaſti. Inauguratus Magi-

ſter artium Theologicas diſciplinas anhelaſti, eò maiori auiditate, quò illæ erant ſublimiores. Ibas quippe ad altiora niſu innato ingenij aquilini, Solem prouocantis, & radiorum ſolarium patientis. Solent diſcipuli nomina Magiſtrorum ambitiosè iactare, ac ea in gloriam vertere; ſed hic mos in te deſijt, Magiſtris tuis, tametſi inſignes forent, de tanto diſcipulo tumeſcentibus: doctrinam ſibi aſſignabant, profectum tibi, & famam tribuebant. Diuerſas Theologiæ Scholaſticæ vias noſcitaſti, arripuiſti: nullus tibi callis ignotus: nulla ſemita intrita. Multiplex, ac verſatile Ingenium vni addictum eſſe non debuit. Partes Diui Thomæ ſecutus, non tamen manſiſti in partibus, ne Scoti ſubtilitates, Gabrielis acumina, Durandi neruos desereres. Magiſtri ſeueritas, & grauitas te mirificè delectabat. Omnium doctrinarum capaciſſimus animus, paucitatis eaſdem arguebat. Vacuum magis ſcientiæ, quàm natura ſpatij horreat, abhorrebas; & orbe confecto doctrinæ plures in

ea (quod Alexandro occupato contigit mundo) ſuſpiraſti. Id mirabile quod luctari cum ſummis difficultatibus volupe tibi erat. Vertebas ponderi leues quæſtiones, leuamento graues: ſiqua veniebat exigua, reijciebas; ſi qua magna ſe mole ferebat, recipiebas: nullus ſe tibi oſtendit Gordius nodus, acutam mentis aciem timens, ne vno ictu præcideretur. Spinoſiores, & nodoſiores controuerſias in ſirpis numeraſti. Volitabas celeritate ingenij, cùmque volare ad apicem Doctoratus poſſes, gradatim ire maluiſti, vt per ſingulos gradus aſcendens, in ſingulis monimentum tuæ virtutis poſitum relinqueres. Auidior meriti, quàm honoris litabas Gloriæ, non Fortunæ. Viſum eſt ſe tibi inclinare faſtigium, & corona Laurea ſuo candore pura tuum caput ambire, quod impediebat libenter, ne auelleretur. Cana fides inſedit capiti villis albicantibus, quos è pileo nigrante demiſit, accerſita ad cuſtodiam ſeueritate, quæ cum pilei libertate coniuncta futuri Sacræ In-

quiſitionis muneris ſignum quoddam prognoſticon exhibebat. Vix dum in ſubſellijs laureato, duæ ſe Cathedræ vacuæ inſidendas ſeſe, ac feriendas libenter obtulerunt: altera Sacræ Scripturæ, altera Theologiæ ſpeculatricis: ambæ tui auidæ Magiſterij, & vltra Magiſterium dignitatis. De te vno ambæ viſæ contendere. Nec mirum: doctrina tua ad totam exedram Scholaſticæ abollæ lacinias fimbriatim dilatabat. Vtraque iniecta manu hinc inde prehenſans ad ſe trahere, ne ſi vtri te dederes ſolicita, altera præferretur alteri. At ex nobili inuidia vtraque carere te maluit, quàm certando committere, vt te alterutra frueretur. Nec tu vni alteram præponere auſus, ambarum candidatum præſtitiſti, & in certamen litterarium deſcendiſti, & ſingulare in vtramque partem facultatis ſpecimen præbuiſti: cùmque potentia maximè ob claritudinem generis, gratiaque ob ſuauitatem indolis valeres, periclitari ingenium maluiſti, vt meritum aſſereres, quàm cum exiſtima-

tionis

tionis periculo cathedram obſtructis per potentiam, & gratiam iuris luminibus obtinere. Receſſerunt igitur duæ illæ Cathedræ, & te in medio relicto ad alienos candidatos conceſſerunt. Et quidem vulgaris ille occupandi cathedram modus minus tuam excellentem doctrinam decebat, ne in ordinem redactus viderere. Puduit iuſtitiam vſitatæ electionis. Seruare antiquum morem iniuriæ deputauit. Itaque nouum, ac inſolens quiddam meditata, extraordinariam tibi Cathedram aſſignauit. *Conductam* dicunt, quòd conducat honori Magiſtri, & Academiæ vtilitati. Eo te Phœnicem doctorum indigitauit. In grauiſſimo illo ordine te extra ordinem poſitum omnes mirabantur. Haberi pro miraculo cœptus, audiri ab omnibus, ac obaudiri. Deinceps coli, commendari, laudari, prædicari. In ariolos verti auditores, ſumma tibi Cathedrarum faſtigia augurari. Tu interim Periclæo more è ſuggeſtu tonare, fulgurare, fulminare, ac cœlum in Gymnaſium transferre: nec Atlantis

baiuli

baiuli more ceu brutum onus ſuſtinere,ſed inſtar Intelligentiæ mobile, ac irrequietum reddere, in gyros agere, ciere, voluere, torquere, faces accendere, lumina præbere, calorem immittere, influxus diſpenſare. Et quidem apta illa erat in hoc tumultuario docendi genere diſciplina, rotante ſe per ſubitaria litterarum diſcrimina ingenij facultate. Sed ſolidiora affectabat iudicium, & hæc indolem ad maturiora propenſam ſtimulabant. Stringendum illud erat vagum, & volubile docendi munus, vt certiùs, & conſtantiùs procederet, & ad intima mentium penetraret. Ergo ſicuti quinque Zonis cœlum cingitur, & coercetur, ita & Cathedris quinque Conimbricenſis illud Vniuerſitatis Cœlum continetur. Eæ ſunt Gabrielis, Durandi, Scoti, Sancti Thomæ, Magiſtri ſententiarum. Cui primæ dantur, quòd Patrum doctrinam repræſentat, & intra Cortinam ſacrę doctrinæ verſatur, fundens potius oracula, quàm dictans regulas doctrinarum. Sunt verò illæ ſuis quaſi regionibus terminatæ,
locis

locis diuiſæ, temporibus diſtinctæ, pro facultatum varietate diuerſæ. Cathedræ Magiſtri, & Diui Thomę *Temperatis* Zonis reſpondent, frequentiores, & populoſiores, ad communem ſenſum accommodatæ. Scoti, & Gabrielis *Frigidas* repræſentant, propter ſubtilitatem doctrinæ, quæ ſtringit, & acuit mentes, propterea minus tritæ, & frequentatæ. Durandi *Torridam* præſefert, quæ veluti ardentis Syrij, & feruidæ caniculæ intemperie arcet potius homines, quàm allicit, & vix eſt habitabilis vlli. Vt tamen eſſet clara doctrina tua, vagabatur tamen, & erratico ſe tractu, more planetarum, fundens fluctuabat. Placuit conſiſtere, ac luce conſtanti radiare. Caſſiopeam cogitaſti inſidentem Cathedræ ſyderum, minimè ſyderatam; deſideratam quidem votis communibus Academiæ, ardentis lectorem ſaporis haud publici. Aperuit auræ afflantis ventus ſecundus iuratas ad ſeram fores. Patuit Cathedra Gabrielis prima ſtabilis doctrinæ ſedes. Hæc vix prehenſa te prehendit, &

ſub-

ſubſidit. Gabrielem ſuſcitaſti acutum ſubtilitate: preſſum neruo: ſpiſſum denſitate: caſtigatum breuitate. In Nominali, tui famam nominis expreſſiſti. In rem Scholaſticam nomen vertiſti, ac illum exponendo nomen tuum feciſti. Infuſo Cathedræ auro doctrinæ, ingenti ære obrui viſus eſt Gabriel, ſolo nomine Angeli retento, re vacuus, quam occupaſti: audiebant te auidis auribus auditores, & benè apud omnes audire ſolitus omnium aures implebas. Itaque vnius Cathedræ Nominalis Magiſter nominatiſſimus omnium euaſiſti. Durè accepit Durandus vacuum ſuæ Cathedræ ſitum, quæ ſitu obſita ibat in ſenticetum, & duratea videbatur. Expetiuit Doctorem, qui excolendo, & irrigando eſſet. Is eras Tu, Ludouice, qui & afferres floriferium Saufeię doctrinę aqua corriuata, & ſeminarium redderes omnigeno fructuum genere, inducta Amaltheæ copia, exuberans. Præſtitiſti liberum, & acre iudicium Durandi tritum iter indignantis, nouum aliud dumoſum, & ſaltuoſum inueſtigantis.

Oderat

Oderat ille ſequax Doctorum genus, quos Hederaceos, & Viteos adminiculis, & pedamentis egentes vocare ſolitus erat. E ſchola ſolitudinem fecit, & in Scholaſticorum Choro Anachoreta præceptor extitit. Ne ſociari quidem turmis angelicis voluit. Puduit eius conſortij, quod cum cuſtodia coniunctum ductum admittit, & regimen. Ad huius, Tu, Excellentiſſime Princeps, genium te finxiſti. Schemate duritiei induto in ſcenam Academicam te dediſti, & mentitus Durandi perſonam citra mendacium ſuſtinuiſti. Minimè tamen in exponendo durus, ſed natiua ſuauitate retenta: lenis, & blandus. Aureus in doctrina, argenteus in eloquio, ferreus in argumẽtatione, in ſolo ſuggeſto, quod pulſabas, durateus repertus. Cito tamen depoſita perſona Durandi ad Scoti Cathedram opportunè translatus, tenebras illas omni luce clariores ſubtiliter illuſtraturus. Acceſſiſti ad illius paginas quaſi alter ad Protogenis tabulas Apelles, & lineas Scoti ſubtiliſſimas inducta interioris interpretationis linea acutè expoſuiſti, vt

C acu-

acumen inuictum maiori acumine vinceres. Timuerunr Scoto sui alumni, ne præ tua subtilitate hebes ille videretur. Fuerunt qui ambigerent: vtrum Scotus adhuc viueret post ambiguam mortem, blandiente opinioni ætate, quæ acerbitate sua subtilitatem Scoticam commendabat. Renouari à te Scotum miraculo dabant, sed audiri in te Scotum miraculo non imputabant: quòd tam eum indiscreta similitudine referebas, vt nihil inter vtrumque videretur interesse. Constabat illud: neutri iniuriam fieri, si alter pro altero haberetur. Non acutiùs inuestigare Scotus, non subtiliùs distinguere, non acriùs argumentari, non solertiùs respondere, non cautiùs excubare, non vigilantiùs attendere, non altiùs in profunda descendere, non sublimiùs ad supera euolare, non certiùs obtutu mentis Solem figere, non veriùs Aquilam exhibere. Iam Bassolis, iam Maior, iam Tataretus, iam Scotellus, iã Lychetus lusus erant; iam Aretinus: iam Herrera, iam Castillus, iam Vulpes, iam Poncius,

cius, iam Maſtrius fungi, & fuci habebantur: vnus tu Scoti anima videbare. Felix Academia Conimbricenſis, in quam Oxoniū, Lutetia, Colonia commigrarunt. Mirum erat à te adoleſcente obſcura Scoti dilucidè: arcana perſpicuè: profunda nitidè: clauſa apertè: obſcura manifeſtè: ardua facilè: inuoluta expeditè: ſubtilia planè tractare, & Scotum Scoto exponendo reddere. Imo eum ſubtilitate, & acumine æquiparare. Ecquis crederet vni mortalium tam multiplex, & locuples contingere poſſe ingenium, vt tot tamque diuerſas, imo & contrarias ſcientiarum formas profiteretur? Sed maior tua, quàm pro mortali facultas erat. Ergò Angelum induere oportuit, & ad Cathedram Doctoris Angelici promoueri. A ſubtili aſcendiſti ad ſolidum, ab acuto ad maturum, à Scoto tenebricoſo ad Diuum Thomam Solem ſplendidum. Perinde ac locos tantùm mutares, doctrinas comprehenderes. Idem in diuerſis Exedris, diuerſus in eodem Magiſterio. Et verò præceptorem Angeli-

cum ita repræsentasti, vt in singulis partibus totum redderes, & in vno Angelico Doctore omnes Angelorum Hierarchias docendo conficeres. Gestamen eius pectoris Solem, in gerulum caput transtulisti, & in cerebro collocasti. Interpres Thomæ dubium fecisti, vter alterum illuminaret? Acciperes ne tu ab eo lumen, an ei dares? certamen inter auditores erat. De via decessit Thomas Caietanus de Vio, vt tibi cederet nunquam deuio. Cum te capere Magistri sui sensus vidit, caperauit frontem ex liuore Capreolus, ac erubuit. Deaurantem expositione textus ferrum se fassus est Ferrara. Victor io, Victoria victus tibi explananti cecinit. Exalbuit Albelda te interpretante, & Nunnius nullus interpres fuit. Inspecto alueo tuæ profunditatis Aluarez verè Tranensis tranauit aliò, ac decessit. Godoy, Ioannes à Sancto Thoma, Gonetus, tria lumina Thomistica noctem senserunt. Siluit tota Schola Thomistica, Complutenses, & Salmanticenses tacuerunt. Quicumque in verba San-

ꝺti Thomæ iurarunt, tibi Sacramento dixerunt. Tanta tui commentantis fides erat, vt nemo inter Thomistas Didymus fuerit. Nihil tibi nouum sub hoc Sole: omnia perspecta, & explorata habuisti. Angelico Doctori sartam, tectamque seruando doctrinam Custos Angelus extitisti. In vespertina (sic dicitur) illius cathedra vesperum agebas; & manè cùm ille esset, ex hoc manè & tuo vespere dies vnus doctrinæ fuit. Supererat Magister Sententiarum, quæ prima Conimbricæ, ac primaria lectio habetur: quòd illa Patrum instar sit. Hanc adeptus, mirum quantum te in Magistro magistrum præstitisti: arbiter quidam diuinus inter sententias visus; in controuersiis agitandis, transigendis decidendis, iure quasi Prætorio, vtebare. Quidquid statueras decretum erat. Hoc tibi datum à cœlo, inter Patres sedere, ac docere. Aliàs tuum mirabile apparuit ingenium, tunc mirabilius iudicij specimen præbuisti. Videre erat te iuuenem in media Vniuersitate antiquum dierum agere,

ve-

venerandas priſcorum Patrum ſententias afferre, rimari, euiſcerare, & quandam veluti euiſcerationem ſcholaſticam Academiæ dare. Id es docendo conſequutus, vt cùm Petrus Lombardus Magiſter ſententiarum dici meruerit, tu Ludouicus Luſitanus, Iudex ſententiarum merueris nominari. Ille intra ſententias fuit, tu vltra ſententias proceſſiſti. Omnia in ſententijs pertractandis tibi ex ſententia euenerunt: cum nihil diceres præter ſententiam. Sexdecim annorum ſpatia in hoc litterario puluere confeciſti. Extat orbita impreſſa doctrinæ: teſtantur veſtigia te nunquam niſi in Cathedris pedem poſuiſſe. Publicis poſitionibus, quæ ex diuerſarum Scholarum facultatibus palàm habebantur vnus præfuiſti. Academiæ candidatos ad ſolemnes honorum gradus promouiſti. Sępe illos è roſtris laudaſti, & honorarijs orationibus ornaſti, teque & acutum in diſputando Theologum, & eloquentem in dicendo Oratorem præſtitiſti; in argumentando fulmen, in orando flumen videbare:

re:

re. Tonabas pariter, & fulminabas. Feriebas arguendo aures, permulcebas eloquendo. Sphyngis in cathedra, Sirenis in ſuggeſtu perſonam gerebas. Scatebat Aula ſubtilitatibus Philoſophicis, & rursũ vocibus Rhetoricis perſonabat. Nemo vnquam Athleta tam vaſtum animum, tam prodigioſam virtutem præſetulit, vt tot munerum capax, patienſuè eſſet, & pancratio, lucta, pugillatu, curſu valeret, etiamſi ſubſidio, & ope aliptarum vteretur: ſinguli ad ſingula certamina idonei, impares cunctis extiterunt. Vni tibi contigit Athletæ litterario in hac arena omnium contentionum genera ſubire, munera obire, nec laſſari. Debes hoc illi, illi inquam, palęſtræ eximiæ, quæ te in ſuo nobili puluere ad omnia huiuſmodi exercitamenta erudijt, Regium illud dico, Sancti Pauli Conimbricenſis Vniuerſitatis Collegium, totius Virtutis, & doctrinæ choragium: in cuius tu ſinu exceptus, & altus hanc vaſtitatem animi comparaſti. Cor illud eſt Academiæ, ac cerebrum. Nitent

ibi

ibi puriores ſcientiarum ſoles, clariores ibi lucét dies, ſereniores ibi ſilent noctes. Paulini acie gladij acuuntur ingenia, voce poliuntur linguæ: gratia illuſtrantur animi, ſapientia, quæ alibi diuerſorium habet, hic domicilium locat. Beatior eſt illa pars Vniuerſitatis, ac pulchrior; hanc illa vt ſe commendet exhibere peregrinis ſolet, vt inde tota æſtimetur. Acu rem tetigit, qui dixit Conimbricenſem Academiam Sponſam agere, miro mundo muliebri ornatam. Collegium Sancti Pauli annulum eſſe, in cuius pala pro gemma Ludouicus eſſet, idque palàm facere doctrina, virtute, ingenio, indole, ſplendore ſanguinis. Nobiliſſimum illuſtri Collegio Stemma, ſiue ſymbolum datum, Sphęra cœleſtis, non ſolida globoſitate clauſa, ſed hiatu patulicante aperta, globo terreſtri in vacuum meditullium accepto, ſuis tamen circundata circulis, diſtincta lineis, vincta Zonis, ſecta coluris, terminata tropicis, illuſtrata planetis, notata ſignis, intercurrente Zodiaco, obliquante ſe media

eclyp-

eclyptica & Solis cursum dirigente. Incertum vnde, & cur acceperit? Diuinandum. Putarim ea significari Collegium Sapientium, qui more Intelligentiarum sphæram mundi temperarent, ac eius animæ quædam assistentes forent. Rursum suspicarer Ioannem Tertium Regem Lusitaniæ, Regis Emmanuelis clarissimi Indiarum exploratoris Filium, qui sphæram huiusmodi symbolum gestauit, ad renouandam patris memoriam, illam collegio pro Stemmate tribuisse; vt sicut Emmanuel memorabile illud facinus Marte patrauerat, ita Ioannes Sapientia consecraret, & quod armis militum partum fuerat decus, doctorum calamis æternaret: nisi fortè, (quod magis arridet) illud Collegium seminarium quoddam cœleste futurum erat, ex quo fidei lumina illustrata doctrinis ad infidelium conuersionem essent eruptura. Iuuat coniecturam nomenclatura Sancti Pauli Doctoris gentium. Summa est: illud Collegium ad doctrinam vniuersi Orbis erectũ, apertumque. Cer-

tè quidquid eſt in ſphæra ſpectat ad diſciplinam. Sunt quippe Lineæ, normæque diſcendi, Zonæ ad ſtringendum, ad dilatandum argumenta; circuli ad comprehendendas doctrinas, Tropici ad terminandum, & concludendum: coluri ad angulos difficultatum ſecandos: Zodiacus ad omnes argumentandi formas exprimendas, Solemque veritatis deducendum. Plurimos illud Collegium alumnos anteà tulerat: omnes aureos, & tamen vnum tunc habebat gemmeum. Atque vt hoc conſtabat, ita nutabat illud, qualis tu gemma eſſes? Erant qui Smaragdum vellent propter Spei nitorem: erãt qui Sapphirum mallent propter cœleſtem diſciplinam: quidam contendebant Adamantem ob ſtudendi conſtantiam: propiores verò erãt qui carbunculũ dictitabãt propter ignem ingenij, quo & lucebas apud tuos, & apud exteros flagrabas radiis gloriæ vſque ad inuidiam felicibus: omnes quippe te Collegio inuidebant. Natum hoc ad ſapientiam te recepit: mox factum ad ſtudium te probauit.

bauit. Huius Tu, Ludouice, nobilissimi Collegij clauum ter Rectoris nomine tenuisti. Beatus ille ternarius annorum, Ausonij erat felicibus ternarijs inserendus. Fuere qui tres Soles præstitisse te dicerent, cùm præfuisti. Ac fuit quidem tempus, quo tres Soles visi sunt simul apparere, & lucere. Hoc vnus tu miraculum suscitasti, nisi quòd illi breui desierunt, tui Triennium durarunt, & triplicato auro fluxerunt. Dabas operam litteris, ceu de littera exarata, non de spiritu innato viueres. Rursum ita sensum litteræ rimabare, vt non de littera, sed de spiritu animam traheres. Assiduitate fecisti, vt libros in membris numerares. Qui te intus, & in cute nosset, nouerat te non minus libris constare, quàm artubus: mouere illos faciliùs, quàm membra: ac ijs arctiùs, & fortiùs, quàm ossibus adhęrescere. Vnde ortum, vt qui te domi studentem videret, libros deuorare, qui foris docentem aspiceret, libros vomere existimaret. Euasit eò celebritas nominis

tui, vt Vniuersitatem famæ impleret. Excita hæc studio fruendi tui, præfecturam sui tibi imperauit. Regi à Te prærogatiuam duxit; ac ne elaberetur occasio, vacationi operam dedit, vt sine exceptione adolescentiæ intrares. Vice Rectoris habere te gestiit, vicem solicita suam, si maturæ ætatis sequacia expectaret suffragia. Votum commune anteuertit, & voto priuato ius addixit. Creatus Vice Rector ab studiosis haud spem fefellisti. Vicisti expectationem, quæ citò vertit in admirationem, & plausum. Parua visa sunt vota præ granditate meritorum. Appeti ab Honestatibus cæptus es. Citò te apprehendit præfectura Chori Cathedralis Ecclesiæ Conimbricensis, quæ te sinu vacuo inuitabat, alludente ipso Musices concentu, tuarum harmoniæ virtutum concordi. Optauit chorus vocum, chorum dotum. Cum plerique dignitatem expeterent, te viso damnarunt auiditatem. Nomen tuum vel inauditum studia competitorum restinxit: igniculi temerè concepti maio-

ris

ris ignis ſuperuenientis ardore reſederunt. Et ecce noua lux è propinquo. Venerandum Sanҫti Officij Tribunal eiuſdem ciuitatis, conſultum ſibi voluit Deputati collato munere, propter cauſas fidei memorabile, ac eo nomine in Luſitania optabile. Vix dum illò aſcenderas, cùm tui vel abſentis habita ratione Regia Vrbs Vliſsipo te ad ſacrum, quod vocant Conſcientiæ, & Ordinum Senatum adſciuit, vt inter cæteros, qui maximè ſplendidi eſſe ſolent Patres, nouus Sol effulgeres. Ebullire ambitionis æſtu videbantur dignitates, vt te potirentur: & maior erat abſentis cupiditas, fama nominis accenſa. Ergo te deinceps Regius Princeps Petrus optare, & è longinquo vicinum reddere. Officium quoddam eſt in Hiſpania ab Auſtriaca traҫtum domo, ingentis tum fiduciæ, tum honoris, tum religionis, ſacro addiҫtum loco. Nam cùm Rex in Sacellum domeſticum, vel templum externum exit rebus diuinis aures daturus, papilio ei opportunè locatur iuſtis velarijs

ſiue

ſiue cortinis vndique clauſus, intra quem pro dignitate conſiſtat, dum ſacra peraguntur, ſeu conciones habentur. Interior ei eſt Miniſter inauguratus, qui ſacri illius proſcenij cortinam, cùm vſus eſt, aperit, clauditque, & ſtanti adſtat, vti fidus corporis cuſtos, & quid præſtandum Principi ſit, monet, ceu flamen eruditus (Sumillerem, quod munus exoticum eſt, Cortinæ vulgò, nos latinè à Cortinis dicimus; niſi ſi quis malit *Honorarium Cortinarium* appellare.) Talem Te deſignauit Regius Princeps Petrus, putans, ſi eo fungereris munere, cortinam in oraculum ituram, & in hemiſphœrium cœli verſuram, Academicæ intelligentiæ manu verſandam, vt ſacratiùs ibi conſiſteret; expertus poſtea cùm obiſti cortinarium illud officium multiplicem profectum. Tu quippe pro modeſtia in partem ſacrorum tranſibas: jam verò aperiente te velum aura diuinior te afflabat, quæ dum erat in propatulo durabat, claudente verò deſiderium ſubtracti Principis

ex-

excibat, reuerentiam in absentem incitabat.

Firmata ætas, prouecta virtus, matura doctrina, delicatos honores respuebant: robustos prouocabant. Tenuia illa Academica filamina infulares lemniscos appetebant. Commodùm vacauit Lamecensis Episcopatus magni nominis sedes. Insignis ea in Beyræ prouincia ciuitas est: magnorum Episcoporum felix domicilium, nunc Maximi futura. Venit tui in mentem Regio Principi Vigilantissimo Petro, quem nomen ipsum ad prouidendum Ecclesijs vacantibus stimulabat: quare is te Episcopum designauit. Doluit vicem suam Conimbrica, & in alieno lucro suam iacturam sensit, luxitque: distulit cor gaudium, & mœror. Inter vtrumq; hæsit ambigua: sed in gaudium pronior, quòd honestius erat de tuo honore lætari, quàm de suo detrimento tristari. Verùm & hæc tristitia tibi honori erat. Ergo indulsit dolori, vt testaretur quanti te faceret. Fleuit tenera Ciuitas ad lacry-

mas

mas propenſa, cœli impluium; quibus abundat fontibus, eos in oculos lacrymantes vertit. Demiſit illud in quo ſita eſt ſupercilium, & nubes induxit fronti, & fletus exciuit. Vſſit ardor doloris amœnitatem innatam: mox & attonita obriguit. Olıueta quibus cingitur expalleſcere, flores marceſcere, herbæ arere, ſegetes ſterileſcere, campi ſiccari, montes ſubſidere, valles dehiſcere, aer, quo nullus eſt ſalubrior, ægreſcere, Sol, qui puriùs ibi lucet, deficere, Cœlum, omni alio ſerenius, obnubilari, & nitida pulcherrimæ vrbis facies deformari. Academia mærere, aula gemere, Exedræ ſuſpirare, Cathedræ plangere: frequentia in ſolitudinem, congratulatio in lamentationem, plauſus in ſingultus verti. Nulla tamen ſpecies miſerabilior quàm Mondæ amnis, Stellæ montis alumni, cœlo finitimi, in cuius vado ſæpè fragmenta ſtellarum cum ramentis riparum voluuntur: in cuius pellucida cryſtallo Luna nocte comitur, Sol die componitur: qui triumphator ſe per

arcus

arcus eximij pontis effundit; ille, ille sui
ımens, oblitus fontis, immemor syderum,
ıegligens florum, incertus aluei tenuari
ı maciem, hærere ad salebras, vergere
d ima, errare in mæandris, arescere in
renis, vix extare, damnare arcus, ponte
ıbstinere, seque vadandum, & calcandum
er facientium pedibus dare: nihil fluvij
ræter madorem, & lutum retinere. Is
rat habitus vrbis, quam propter delica-
ıs amænitates, & florum lenocinia *Ri-*
ntem Vrbem iure appellant. Hanc ego
ıtriam habui: in Mondæ ripis repsi; ni-
il tamen inde vel fausti syderis, vel fe-
ıui risus mecum tuli. Euasi deinceps ca-
mitatum summa, ærumnarum compen-
ium, imago vrbis, quam describo de tui
ıctura, Ludouice inclyte, sibi condolen-
ıs. Gratæ nihilominus hoc ciuitatis offi-
ium fuit, quæ mihi innata virtus est, ve-
è Conimbricensi, quem nunquam quiuis
ngratum sentit, sentietuè. Ad institutum.
nitiatum, infulatum, & lemniscatum pa-
storalibus fulgentem insignibus, te exce-

 pit

pit poſt longam viduitatem Sponſa Lamecenſis, quæ diutino confecta deſiderio in lugubri poſita iacebat,& ſordibus,amiſſi priùs Sponſi memoriam refricans, illius', inquam Michaelis à Portugallià Regij ſanguinis Principis, Brigantinæ Domus Herois, cui paucos pares doctrina, virtute, magnificentia Luſitania tulit: quem recentem à Romana Legatione mors immatura ſuſtulerat, ingenti Regni, Lamecique iactura,quæ reparatu difficilis videbatur. Verùm felicitas Petri Principis fuit ſuo nanciſci tempore, Te, inclyte Ludouice, magno illo Præſuli parem. Ergo expectatio nominis tui extinxit dolorem, ſoluit luctum, exemit ſitum, abſtulit deſiderium, attulit ſolatium, ſpem fecit affirmans fore, vt tecum omnia fauſta, & proſpera aduenirent. Hinc fiducia, gaudium, congratulatio, plauſus extiterunt. Renaſci tecum viſa eſt Ciuitas, & doloris vacua intumuit, & concepto generoſo afflatu ſydera anhelauit. Solemni ingreſſus pompa,cuius tu præcipuum ferculum eras,

eras, iucundum Vrbi ſpectaculum. Maieſtati datus ille dies propter dignitatem perſonæ; ille te venerabilem iuxtà, & amabilem oſtendit. Reliqui conſequentes officioſis ſalutationibus, & domeſticis occupationibus impenſi. Deinceps exerceri cœptum eſt à te Pontificium munus; peragi ſacra religiosè: Capitulum luſtrari accuratè: ritus obiri diligenter: ſacramenta ritè confici: rectè miniſtrari: conciones frequenter haberi: Chriſtiana documenta tradi: mores corrigi: vitia extirpari: abuſus auferri: egenorum cura haberi: pupillorum orbitati conſuli: Viduarum ſolitudini prouideri: omnes in officio contineri. Noua vrbis facies reddita, ſitu deterſo, ſquallore depoſito, nitore reſtituto; exculta illa vinea fuit, quæ paſtoris defectu in ſyluoſam congeriem abierat. Renouata vrbe facilè tibi fuit reliquam Diœceſim ad bonam frugem reducere, vrgente noui Paſtoris præſentia. Itaque totam diligenter luſtraſti, vitioſas ſtirpes euulſiſti, teneras inſeruiſti, ſicca irrigaſti,

lacunoſa impleſti, ſterilia fœcundaſti, dictis, ac exemplis rem Chriſtianam promouiſti. Illud palmare: apertis manibus ſtipes erogare, quo genere beneficentiæ magnoperè iuuiſti Eccleſiam: eſt quippe eleemoſyna dulcis conciliatricula voluntatum, quæ cùm ducuntur affectu, legum ac præceptorum onus non ſentiunt. Mirabilis erat in iuuene inexperto Regiminis Eccleſiaſtici illa peritia gubernandi, illa ſolertia prouidendi, illa tractatio animorum, illa doctrina morum, illa ratio iuris dicundi, quæ non niſi longo vſu, & experientia conſtant. Verùm tibi perinde fuit Eccleſiæ prouidere, atque Academiæ præſidere. A ſchola litterarum tranſiſti ad ſcholam ſacrorum, & in vtraque Magiſtrum præſtitiſti extemporalem, quòd tua iudoles æternitatem ſapiebat. Quæcumque ad ſalubrem adminiſtrationem ſpectabant, ea tibi ſic erant in promptu, quaſi ex antè meditata, & præparata domi habuiſſes; nec opus erat exemplis externis ei, qui intus, & in animo ideam expreſſam gerebat: vnde

de

de omnium virtutum exempla peterentur. Religioni ſunt hæc, & pietati danda. Illud magnificentiæ. Palatij Pontificij ædes vetuſtas denticulato annorum decurrentium morſu exederat, magnam partem parietinæ, breui futuræ fragmenta, minæque ædificij, non ædificium, hederarum adminiculis ſuffultum, quæ tenaci amplexu hiulcos lapides vinciebant. Acceſſerat diuturna ſolitudo nobilium domorum blatta, quæ habitabiles ita efferauerat ſinus, vt lemures, & ſpectra ſubornaret. Has igitur aggreſſus es moliri, inſtaurare, magnis impenſis, manu effuſa, opere pertinaci: donec priſcum nitorem, iuſtam amplitudinem, venuſtam ſpeciem acciperent, teque nouo domino dignæ viderentur, futuriſque poſt te Epiſcopis amplum, & auguſtum domicilium præbituræ.

Didi per totum Luſitaniæ Regnum cœpit inclyta fama nominis tui, quæ paulatim diffuſa Regij Principis Petri aures impleuit, magna tunc mente agitantis. In-

ſederat eius animo imago tui, maior quàm pro humano habitu, teque menſus expectatione, aptum ad id, quod ſuſceperat munus præſtandum fore iudicauit. Nec mora: iuſſit acciri, & cauſam voti expreſſit. Legationem Romam ad Summum Pontificem humeris tuis impoſitum iri pro negotijs grauiſſimis obeundis, quibus vnũ te parem exiſtimabat. Hæſit vrbs attonita nuncio. Hinc gaudium de collato tibi glorioſo munere: aliunde tamen mæſtitudo erat, quòd ſuo paſtore carere cogebantur, quem ſemel amiſſum, nunquam deinceps eſſent habituri. Qui dolor omnem lætitiam ſuffocabat. Similis igitur Lameci te dimittentis ei, quem proximè Conimbricæ deſcripſimus, habitus fuit. Longè tamen alius Vliſſiponis, quæ velut triumphabunda venientem excepit: ariolata quantum ex tua legatione decus, & ornamentum eſſet acceptura. Protinus te ad nauigandum comparaſti. Cumulatus omnium votis, & laudibus oram ſoluiſti. Emenſo mari partim Oceano, partim

tim Mediterraneo Genuam appulisti: vrbem Ligustici pelagi dominam, gazarum cumulum: Occidentis emporium: scenam deliciarum: domicilium gratiarum. Excita fama appulsus tui tota in speculis erat, & in emissitios versa oculos te passis inuehentem velis expanso cuneati littoris gremio intra clausum marmorati portus sinum, tanquam in lectum ex languentibus aquis compositum inuitauit, post sonoras terra, marique tormentorum tempestates, quæ dulciorem quietem redderent. Votum erat commune, te Legatum solemni more accipere, & omnium omnium officiorum genere prosequi. Idque effusa in mare Ciuitas innuebat. Sed moderatio tua extinxit ardorem accensæ vrbis, nec decebant transeuntem moræ pretiosæ, quando festinationis pretium erat. Nullum tamen Vrbs vrbanitatis magistra beneuolentiæ in Legatum, nec tu, Vir generosus, in ciuitatem gratitudinis officium prætermisisti. Vocabat aura Liburnum, afflatu Romæ propiori. Eò cur-

sum

ſum dirigi iubes. Inaudierat Magnus Dux Etruriæ de tranſitu tanti Legati; Princeps indole celſus, animo magnus, natus ad ſumma, famæ auidus, gloriæ capax, Luſitano nomini deditus, ex quo Luſitaniam Solis inſtar luſtrauit, & illuſtrauit. Excipi te Liburni honore quàm maximo imperauit. Vix dum conſpectum turrium faſtigia, nauium propugnacula feſtiuis tormentorum boatibus ſalutarunt. Aduentanti omnia ſe nauigia depreſſis vexillis ſubmiſerunt, & expandente ſe in orbem, & intus accepto in medium coeunte corona, nauigium, quo vehebare, corona fuit. Ductus in portum nautico triumpho, ſibilãte celeuſmate, quo tranſtra, & fori ſtrepebant. Ancillantia hinc inde nauigia ruinas murorum ſimulabant, nequid deeſſet triumphanti. Viſæ illo die tumere, criſpari, tripudiare vndæ, & officioſis aſſultibus appetere nauim, tangendi auidæ, fruendi cupidæ, circumfundi, & in orbem ire, humidas choreas ducere, & vndoſis lenocinijs alludere, baſia liquida afferre,

ferre, impreſſione aquea concrepare, in frigido elemento ardere, & ſuperuolantes, ac pendulos tormentarios ignes gelidıtatis arguere. Marino æſtui amoris æſtus ſucceſſit. Propè fuit, vt concurrentibus vndique ad ſociandam nauem fluctibus, cæteræ aquis deſtituerentur. Ad vnam amplectendam auræ, voces, vnde confluxerant. Hic turba, murmur, tumultus erat, & in reliquo alto altum ſilentium. Biremes non remigare, ſed inhibere remos, & adremigare nauiganti, ac exertis, & extentis palmulis roridam aſperginem illidere lateribus, & albicante ſpumis corona nauem redimire. Roſtratæ tarda ſe mouentes mole reuerentiæ pondus præſeferebant, & roſtris à prora protuberantibus oſcula cogitabant. Omnium puppes, proræ, charcheſia, latera, fori feruebant plauſu; diceres ea die ſcaphas, & piſces, queis nihil magis eſt mutum, fabulatos. Omnibus perſuaſum Nymphas, Tritones, Sirenas fabulas eſſe, quòd nuſquam viſæ, nunquam audi-

tæ. Itaque fabulis imputandę. Tunc primùm extra Lunam æſtuare, creſcere, accedere viſum eſt mare, & leges ſibi impoſitas rumpere, & repagula obiectorum littorum frangere. Inſanire fluctus, extra ſe fieri, cæco impetu ferri, terræ incumbere, furere, inundare, diluuium meditari. Profecit hoc tibi excenſionem facienti in littus, in quod non deſcenderes, niſi mare ita occupaſſet littus, vt præ madore partem pelagi putaret. Itaque per maris incuriam tenuiſti terram, & in ſolo, quaſi in fundo pedem poſuiſti. Ridente acta maris amentiam, quòd per vdum errorem te è liquido in ſolidum demiſiſſet. Verùm oblatum oculis ſpectaculum errorem ignoſcendum fuiſſe declarauit. Etenim non minor in continenti vrbis, quàm in fluido maris fluctuatio erat. Commoueri Vrbs, gens concurrere, turba conglobari, viæ vndare populo, occurſare alij alijs, ſe ſe inuicem collidere, & inter ſe arietare, & tempeſtatem citra ventorum flatus ciere;

mox

mox ingentes ferculorum moles onustæ rebus esculentis afferri, & onerarias imitari, aliæ cistulæ, & calathyssi, minores biremes, celoces simulare, *munera lætitiamque Ducis*, cuius prodigiosa munificentia in vndas munerum eruperat, & procellas dapum, & fluctus epularum excitarat; vnde quædam commessationis tempestas existeret, quam esculentum naufragium, sed voluptarium, sequeretur, non ad scopulos, sed ad lectulos, non ad cautes, sed ad lodices, non ad Syrtes, sed ad puluinaria terminandum. Interim faustus flauit à Florentia ventus singulari Magni Ducis astro excitatus, beneuolentiæ, & magnificentiæ singularis. Iusserat ille Prætorem vrbis copiosissimæ, lautissimæ, ornatissimæ tibi adesse, & omnia exquisitæ Vrbanitatis officia exhibere. Hic te nouum hospitem, & tędio maris affectum lauto excepit hospitio, recreauit, exhilarauit ad nutum Principis, ad votum populi, & plausum. Quotidie missitari xenia, munera, cu-

pediæ, deliciæ ab illo Augusto Duce, quanquam longiùs posito, miræ humanitatis signis ad gustum conditæ: animi indices, & effusæ pignora voluntatis: Minus te tamen illa scitamenta, & irritamenta gulæ, quàm hæ significationes, & indicia amoris delectabant: nec passus es amore vinci. Certasti quippe cum eo officijs, quæ in obsequia gratus vertisti, & accepta munera iustis gratijs vtcumque compensasti; & quod licuit, baiulos congruis donis affecisti, quæ tametsi non irent, redibant tamen quodãmodo ad Principem, quanquam inscium, in eius quòd famulos conferebantur, quibus tu more Principum plurima congiaria præbuisti. Itaque hospitium non caruit hostimento. Nec te puduit accepisse, quod à tanto Duce missum, nec pænituit expensi, quod benè in afferentibus collocasti. Certasti propè cum Principe æquali magnificentia, sed minore fama: quòd ille palàm in te Legato clarissimo, tanquam in alto collocabat munera, tù verò in vulgus, tanquam

quam in obſcurum conferebas, & hoc laudi dandum eſt tibi, quòd cùm non minora donaſſes, minus tamen gloriæ seruiiſti. Ac illud quod Liburni accidit vtrius ſit fortunæ tribuendum neſcio, an Magni Ducis? an tuæ? Dum enim ibi moram faceres, tibi à Luſitania litteræ venerunt, quæ te ex Lamecenſi Epiſcopatu ad Bracharenſem Archiepiſcopatum euectum renunciabant, quo nullus eſt in Luſitania altior Sacræ honeſtatis apex, quòd Primàs Bracharenſis Præſul totius Hiſpaniæ ſit, & Eccleſiaſtici Ordinis Coryphæus. Hoc ornamentum Magnus Dux propter nimiam in te beneuolentiam tibi collatum ad ſe quoque pertinere voluit, quaſi in ſuo fundo tute illum theſaurum inueniſſes. Et tu felicitati tribuiſti, quòd Florentiæ fructus ille honoris debebatur, quem flores maturiùs peperiſſent, quòd à Florentia pullulabant. Itaque alter alteri gratulatus, quaſi commune vtrique beneficium eſſet. Tam fauſtus, & felix nuntius alas ad arripiendum

iter Romam addidit, ne otium lætitiā corrumperet, & vt morandi occasiones præcideres, rectà per Pisas (delectabant te Academiæ) Romam te contulisti.

Confecto itinere peruenisti Romam Vrbem, caput Vrbium, & totam caput, & in Capitolio caput cerebri plenum sortitam: in qua Fides domicilium, & Petrus Sedem posuit cum Primatu. Hanc tu Primas Bracharæ, Augustæ dictæ, ingressus, vtriusque Maiestatis, & Magni Pontificis, & Augusti Principis infulatum diademate specimen præbuisti. Clementis Decimi Stellæ Lunis tuis abblandiri visæ, & in sui cœli partem vocare. Septem colles in montes ire, & attolli, tumore nobili ex tuo aduentu opportunè concepto. Ex quo Septimontium extitit, vnde Roma ipsa spectaret liberiùs, & spectaretur iucundiùs. Iniisti Vrbem more inuehentis tecum Triumphum, donantis instar, non petentis. Induxisti pompam, quæ Romano Imperatori satis esset ad triumphandum. Ferrebant curri-

bus

bus viæ, gelante præ admiratione ciui tate. Hæc ſcenam ſpectaculo dedit, aliàs ſpectaculum datura. Ad quam vndique viſendam concurritur, ea ad te viſendum properauit; & quidem decor, & ornatus, & ſplendor comitatus tui illicia oculorum erant. Hi à fronte præeuntes, hi à tergo ſequaces, tum præambulones, tum pediſequos agebant. In Quirinali terminus ſtatutus, & tu in Vrbe capite mundi ſolos Clementis pedes quærebas. Ad hoc ſe centrum pondus amoris inclinabat: eò vergebat. Conſtitiſti, cùm impreſſiſti oſcula, & cor ſpiritu infuſo in plantas inhalaſti. Hoc functum officio domus te tua recepit ornatiſſima, de tuo citra fucos conductitios inſtructa, & ornata ſupellectili opulenta, ſolida, abundante, regifica. Domeſtici ſubinde parietes clauſum tenuerunt. Summi negotij plenum illud otium fuit. Quietem conſumebant curæ de ſolemni futuro ingreſſu ſolicitæ: in quo Romana Curia periclitari ſolet Legatorum ingenium, indolem, facul-

tatem,

tatem, opes, & fortunas. Campeſtrem primùm ſpeciem præbuiſti, quaſi ruſticantis, & à Villa ſeſe in vrbem recipientis; ſed ruralia circa Romam triumphis ciuicis haud cedebant. Ab aratro quippe Heroes emeritos, & rudiarios triumphalis honor euocare ſolebat. Imo ruralis illa oſtentatio florida tota fuit, & nihil ruſtici præter antiphraſim habuit. Quin & campum ex vrbe fecit, in quo expatiaretur, ſeque latiùs oſtentaret. Itaque illa die campus pompa extitit, omni vſu campeſtri ſublato, ciuico inducto, ad ſpecimen, plauſumque comparato. Præcidit moram feſtinatio expectatione admota: illuxit dies ſolemnis ingreſſus. Feruere regio illa Vrbis, quam incolebas, vndante turba, & præ videndi ſtudio æſtuante. Currus, rhedæ, carpenta, pilenta ferri, rotæ ſtrepere, equi fremere, ſcuticæ ſtridere, aurigæ clamitare, feſtiuo tumultu cuncta miſceri. Omnes aliæ Vrbis regiones in hanc emiſſæ confluere, & inſtar amnium in mare ſe ſe exonerantium

tium quieſcere: effuſo è curulibus ſinubus globo, nobili appendice triumphalis pompæ futuro. Hora ſtata, pendente è feneſtris feminea, ac minori turba, ac per vias rectas, & obliquas cumulante ſe populo, tuus in veſtibulo palatij apparuit Currus (aulam dixerim mobilem) molis ingentis, ſtructuræ mirabilis, artis mirificæ, intra decorum religioſa nigredine inſignis, anaglyphis tamen opportunè inſertis ſpectabilis. Hunc ſex carnoſi equorũ portabant montes, digna Eponæ fætura, pares, & niſi animati eſſent, ab alijs, ceu triumphorum fercula, vehendi. Magnitudinem caſtigabat color niger, ne ſi diuerſi colores eſſent, nimiùm in illis oculi luxuriando vagarentur. Primus igitur locus grauitati datus, ſecundus voluptati. Ponè ſimiles equos onerabat, & decorabat rheda pulcherrima, ex auro & argento, bracteatis ſplendoribus lucida, & vndique lamellis aureis incruſtata, cortinis, & ſtragulis fulgentibus obtecta. Anaclynterium diceres Imperatorium; pro-

ræ, & puppis auraturæ rutilantia illu-
ſtris: digna in qua voluptas, non ſine venuſtate, triumpharet. Subinde alij, alijs currus ſuccedere, qui in hoc tumultuanti lætitiæ pelago ſupra decumanum fluctuum numerum excurrebant, ſub illuſtri pondere equi exultabant, & quaſi honoris conſcij in ſuperbiam efferri, caperare frontem, comas bullis circumerrantibus aſperatas arrigere, & excutere; naribus generoſum fumum emittere, corpus conglobare, terga ſuccutere, armos oſtentare, & plauſum impactis ſolo vngulis excire. Intus noſcitabantur illuſtres Honeſtates, Dynaſtæ, ac Ciues nobiles; domeſtici, ac externi; omnes pro ſua dignitate induti ſplendido amictu. Alij comitatui ſe dabant circumfuſa vndique turba pediſequorum vndulatim hinc inde decurrentium. Concurrere, concurſare, collidi, confringi, concrepare ex fortuita fractura currus, voluptati datum. Equorum in arcto hærentium fremitus, oppreſſorum ſtridor, impul-

ſorum

ſorūm hinnitus , inhibitorum calcitratus, lapſorum gemitus, in plauſum verſa . Adeò in communi lætitia vulgus laſciuit : nec petulantiæ tribuitur effuſum gaudium. Ac primùm miraculo ſpectandi dati immanes equi cum ſtupore, & ſtrepitu. Mouerāt iam antea vulgus mole ſua, quam Giganteam dixere, mirantes inter equos Gigantes quoque inueniri, qui cæteros Vrbis, nanos, & pumilos redderent, & paruitatis arguerent. Quin & illud iactatum, Elephantes in eorum corpora tranſiiſſe: tantos illos eſſe, vt ſi animati non eſſent, pro turribus ab elephantibus portandi forent, ac ex ijs tanquam ex arcibus belluatis pugnandum. Quid enim illis ad Turres deeſſe, ſi ſenſus deeſset, nec ineſset carnium mollitudo? Fragmenta murorum in membra vertiſse, quæ in iuſtum ædificium aptè quadrarent. Spectaculo, & ſtupori erat capitum argutia, ceruicum neruoſitas, pectorum protuberantia, armorum amplitudo, dorſi expatiatio, clunium vaſti-

 tas,

tas, crurum proceritas, pedum firmitas. Debuisse Romam suis Imperatoribus exoticarum ludos ferarum: tibi domesticorum spectacula equorum: quibus amphitheatralis capacitas angusta esset. Itaque aut laxandum Vrbis spatium, aut equi expellendi. Quatuordecim nactus es pares, ac prorsus similes: ex ijs binas, & idoneas vecturas fieri imperasti. Igitur felix exiugorum curruum Ternarius fortunauit pompam. Primus, quod antea ieci, clara nigredine conspicuus, pro grauitate Archisacerdotij honesto prospectu oculos percellebat. Albicabat tamen in nigricante materia artis excellentia, quæ venustas cælaturas, & ductiles bracteas in orbem traxerat: sigillis tectum distinguentibus, & quatuor angulares terminos signis grandioribus coronantibus. Pars currus anterior audaci proiectu foras eminebat, syluescente in nemorales incisuras fabrica, & Palen ad habitaculum inuitante. Posterior tamen pars priori antestabat. Commissura, & paratura iusta,

ſta, & pulchra magnitudinem, & maieſtatem Romani Imperij referebat. Ibi Monarchia Luſitana moderari vniuerſitatem Orbis ſceptro, coronaque inſignis viſebatur. Aſia ibi deuicta, Africa proſtrata, America ſubiecta, Europæ pars occidua ſubacta. Ac quemadmodum Vliſſipone Regius Princeps Petrus è palatinæ aulę proſpectu Tago ſubter labenti incumbente ſimul videt inuehentes ſe in portum ex quatuor mundi regionibus naues, quod vni ei Regum contigit, ita & Tu Legatus Principis in vno curru eandem imperij ſpeciem repræſentas, & quo ille in proprio, ac priuato gaudet ſpectaculo, illud tu ad totius Orbis, qui Romæ clauditur, oculos viſendum traducis. Vidit quidem populus cùm te è porta palatij in apertum dares, turgidos illos, & obeſos ſex equorum montes moueri, ſubſilire, glomerari, ac exultare, & arguto vngularum pulſu pauire ſolum, & ambitioſo capitis ductu, tumidarum ceruicum flexu, toroſo comarum

ſug-

ſuggeſtu, arcuato piloſorũ crurum proie-
ctu mordere frena, ſpumas agere, &
hinnitu garrulo ſuo oneri adhinnire, ac
penè triumphare. Terni exiuges vnius
currus molem lororum intercurrentium
nodoſo præſidio ducebant. Satiaret hic,
& laſſaret oculos, niſi inſtaret alter, &
appareret exiugis, pari, ſed diſſimili ve-
ctura, & paratura rerum: moles equo-
rum æqua priori. Hilarior ſpecies huius
in vulgus fuit, aura lenocinante criſpantis
auri vndique collucentis; Solem diceres
ob ſplendorem, affluxumque aureorum
radiorum, ſi ille tantùm quatuor con-
ſtaret equis, & noctem illam curulem
priori rhedæ anteuerteret. Itaque in eo
prora, & puppis aurum fuit. Adfuere
noui Phaetontes, qui ferre illud onus
potiùs, quàm illo curru pro onere ferri
exoptarent. Auctum populi gaudium
conſpectu tertij exiugis venuſtiſſimorum
ſpadicum, qui ſe ſe glauco ſpecioſo colo-
re commendabant. Minor quàm prio-
rum ſtupor; ſed non minor ex hoc po-
ſteriori

ſteriori capta voluptas. Admiratio in plauſum verſa: oculorum acies, quæ in aliis laborauerat, in hoc præ hilaritate arriſit. Vulgus identidem clamare: in aliis duabus rhedis maieſtatem, & dignitatem cum Ioue, Mercurio, & Apolline conſidere: in hac tertia tres gratias cum Venere ſeſſitare. Hoc lætantis Ciuitatis habitu in Palatium te deduxit ſolemnis feſtiuitas, vbi Pontifex Clemens Decimus ad oſcula pedis clementer admiſſum beneuolè excepit, gratè audiuit, comiter dimiſit; quo tu religioſi affectus oſculo triumphalis illius diei decora abſoluiſti, eiuſque pedibus triumphum coronaſti. Reuerſum in aulam magnifica te ſpecies excepit. Rapiebat oculos ſpecioſiſſima domus vario pretioſæ ſupellectilis lenocinio. Veſtiebant parietes aulæa partim belluata, partim bellicoſa, partim florulenta, partim procelloſa, partim erudita hiſtoriis, & loquacia fabulis. Alios tegebant peripetaſmata ex Damaſceno, & Gauſapino, intercurrentibus aureis faſcijs,

tæ-

tænijſque diſtincta. Pauimenta operiebantur tapetibus Perſici, & Arabici apparatus, quos ambitioſo ſudore in varias rerum formas, & figuras labor inarauerat. Errabundos per hæc grata diuerticula oculos fixerunt repoſitoria vaſorum ex argento opportunè inducto auro, rei eſcariæ officio deſtinata. Exponebat abacus plurima ex ſolido argento facta, lęuia & aſpera peregrinæ artis, & exotici operis argumenta, in quibus certabat cum elegantia pretium, cum arte materia. Malluuia, catini, paropſides, patinæ, & alia miſſuum receptacula diuerſi generis illudebant oculis. Magnum momentum erat in pondere, & mole, ſolido argento, ad cuius obiectum cruſtum refracta lux, quò minus penetrare poterat, eò maiore vi reflexa ex impactu, ad oculos fortior redibat, & aciem violento præſtrictam lumine cruciabat. Iam cymbia, crateres, pocula, & pura, & auro mixta guttura prouocabant. In menſa palmare lenocinium erat, per ingentem

pa-

palatij partem extendebatur ornatissima, congesta linteata suppellectili, paratura affirmante lautitias conuiuij futuri, cuius neminem puderet, tum propter Symposiarchæ Legati splendorem, tum quod omnes rogati, imò & coacti veniebant, cunctis eo die per lubentiam prandentibus, vt liberiùs esui indulgerent. Nulli interdicta Mensa, cunctis parata copia, sola interdicta inedia, & imperata comessatio. Data porta in ea comessandi tempestate, omnium desiderijs, tanquam ventis, in appetitum prorumpentibus. Discubuisti accumbentibus cæteris. Synephæbi elegantes præstò erant, qui missus & inferrent, & auferrent, pocula adhiberent, & tollerent, & conuiuiale obsequium diligenter exercerent. Epulari cœptum. Afferri patinæ, proferri lances, inferri fercula, ingestæ dapes omnigenæ, queis nihil sapidius, conditius nihil. Epularum ea vis fuit, vt nihil auium in aere, ferarum in nemore, cicurum ruri, & domi superesset. Quin & macellarij quere-

rentur de tuis curatoribus, quod vacarent macella interceptis altilibus, imò & ex dolore, & pudore te pungerent falſo dicterio, quòd ſplendidiſſimus Princeps domum tuam in macellum, forumque venale vertiſſes. Mirari omnes te hominem ſobrium & abſtemium tantam cibi, & potus copiam corrogari imperaſſe. Noceret copia conuiuis, niſi dentes ſtupente palato à peregrinis condimentis abſtinuiſſent. Modiperatores tamen tui irritamenta gulæ ingerebant, vt faſtidium depellerent, & vt ingluuiem accenderent, modum non tenebant, nec imperabant. Itaque palatum ſubornare, & appetitum prouocare, ceu ſibi ingluuies conuiuantium gloriæ eſſet futura, omni genere meri adh bito, optimæ quidem notæ, vt eo ſtomachos, arentes quaſi campos irrigarent, ne marceſcere viderentur faſtigdio epularum. Nullum propè vini genus omiſſum, quorum Italia feraciſſima abundat copia, necnon exotica adhibita, vt peregrinitas amaretur. Menſa prima

tenuit

tenuit diu, ſecunda ſucceſſit languenti; verùm illa ſuo ſapore torporem obtuſæ gulæ excuſsit: ac primùm oculi irritati conſpectu pretioſarum, & mirabilium cupediarum vltra nectar, & ambroſiam palato, & guſtui ſeruientium. Menſa in ſcenam abijt, cuius actores dentes forent. Admiratio proſcenij locum habuit: varias formas bellariorum intuita aliquantum ſtetit ſtupore attonita. Mala citrea, punica, aurea, cotonea, tum integra, tum piſta, & ſubacta ſacharo, & in capſulas coniecta viſebantur. Nonnulla in auium, & animantium ſpecies formata aſpectu irritabant gulam. Placentæ, offulæ, ſcriblitæ, ſeſama alio genere dulciario palato lenocinabantur. Scitamenta gulæ, quæ ſaporem cierent, & guſtum prouocarent, nectaris, & ambroſiæ ſimulacra erant: niſi fortè illa in fabulis habenda, noſtra in cupedijs, quæ luxui regifico imputantur. Omnes lautitias, & elegantias Trimalcionis hcc ſympoſium ſuperaſſe in vulgus datum. Eius vmbræ

præter opinionē loquentes, fidem portentoso conuiuio vltra Adiiciales, & Pontificias cœnas fecerunt: miratæ in Italicis Triclinijs nouas epulas, & non sua fercula, nobili peregrinitate natiuo gustui adulantes. Summa ea die licentia Liberi patris fuit: Lenæum, ac Bromium egit, & effusa in maiora, & minora pocula exquisiti meri ambitio intra Lyæum mansit, cùm se tamen in omnes generosi liquoris formas verteret, & Protheum, & Vertumnum, aquarum mutabilia numina, vinosa metamorphosi illusisset, non contentus Pucino, Cæcubo, Falerno, Albano nectare, peregrinarum propaginum fætus expressos in calices coronauit: & vadatus est ambrosiam, quasi crudam & acerbam. Rumores conuiuium in Vrbe, & clamores fecit: populus non minus te Legatum illustrem, quàm Symposiarchā elegantem appellabat. Votum tibi, & decretum erat huiusmodi sæpè conuiuia instaurare, sed conuiuæ monuerunt, se tanta mole dapum obrui, fassi stupentes

sto-

ſtomachos non poſſe tot epularum genera concoquere. Illud commune iudicium fuit: Craſſum te opulentia: Lucullum elegantia: Pompeium lautitia: Cæſarem largitate ſuperaſſe, teque Portugalliæ inuidere cæperunt, quòd Romanam munificentiam præteferres, eiuſque nobiliſſimam imaginem vbique tum domi, tum foris exhiberes: imò & exuberantes fabularum delitias parcitatis, & tenuitatis argueres.

Cæterùm quæ poſtea in obeunda legatione iam his apparatuum curis liber præſtitiſti, ac præſtare pergis, ea ſunt, vt non à nouo, & inexperto, ſed veteri, & exercitato Legato videantur profecta, quæ ab aliquo excellentis in tuæ mentis arcano fonte prudentiæ manent, ac fluant: *ideam* ſanè appellant, vnde petas exempla operandi. Studium dicere non potes, quod ingenitum tibi eſt omni ſtudioſa exercitatione nobilius. Indoles generoſa ſuggerit, quæ aliȷs ſuppeditat excogitata eruditio. Non quadrat

in

in te diſciplina in qua eſt doctrina ingenij. Vna cogitatiuncula compoſitos multis curis libros præuenit, & quæ illorum auctores prolixa manu ſcribendo exararunt, tu momento capis. Legis quidem libros, & antiquos, & nouos: ſed nihil eorum quæ legis nouum, & incognitum aduenit. Itaque iuuenis veteres æquas peritia, & nouos ſuperas ſcientia. Apud libros habitas, nunquam hoſpes, ſed ciuis: dum ſingula voluis folia, vtramque paginam facis. Cogitata iuuentutis tuæ plurium Senatorum conſulta ſunt. Tam clarum tibi, tamque perſpicax contigit ingenium, vt quæ veniunt obſcura, ijs lucem afferas, & primo aſpectu illuſtres. Si quid diuini, humaniq; iuris, vtriuſque periti te vel monitum, vel conſultum veniunt, promptuarium Legum, & Canonum eſſe dicunt, vt exſcripſiſſe Pandectas, & Decreta omnia videaris. Hanc intelligentiæ vim comitatur benignitas indolis. Illa te mirabilem reddit; hæc amabilem. Lumen ingenii

tui

cereum eſt: amat blandum, & flexile; nec vrit, cruciatue, ſed allicit, & conciliat. Hoc vnum de Sole in querimoniam trahis, quod luce nimia nocet, & lumen in noxam vertit: fouet algentes: rurſum calentes vſtulat: quos illuſtrat oculos, eoſdem præſtringit. Tua inſignis humanitas nihil habet cum auſteritate commune; cùm oportet de maieſtate detrahis, vt addas facilitati: videris impendere te alijs cùm faues: maior eſt vis affectus, quàm beneficij: cum manu quoque cor porrigis. Sunt qui amant timeri: aſperant frontem, acuunt viſum, efferant vultum, affectant horrorem. Tu amas placere: frontem explicas: remittis oculos: vultum exhilaras. Quàcumque incedis, aperto capite, ore ridente, collo inclinante obuius occurris, & annuis: eoque beas homines, & bearis. Nemo eſt quin tibi arrideat, & ablandiatur; omniùm colligis gratiam vel ſolo aſpectu. Boni Principes gaudent ſocietate; ſolitudinem fugiunt, &

hor-

horrent. Solitarium Principem parum à ferino distare putas. Igitur illis te agglomeras, ab hoc te auellis. Sceptrum imperantium sæpe curuandum in lituum, imò & in baculum nosti: propterea Reges Homerus *Pastores* appellauit, quòd plebem pro grege habent; vt pascant, non vt depascant; vt globent, non vt glubent. Natus, indolem nactus es pastoralem. Deponeres naturam, si humanitatem exueres. Eò diuinior fit Princeps, quò fit humanior. Quis credat per humanos passus affectari viam diuinitatis? In edito est Princeps: cauendum ei ne fiat elatior, ne sit in præcipiti. Quin, si cadat, neminem inueniet succollantem, & supponentem manus, quòd omnes à se longè per immanitatem ablegauit. Vtrique te exemit mansuetudo periculo, tum præcipitij, tum solitudinis. Iam verò illud in qua parte gloriæ ponendum, quòd existis beatior, cum miseris sis vicinior? Gnari tuæ beneficæ naturæ, vndique ad te

con-

confluunt : Excipis libenter , amplecteris amanter , & quorum inopiæ compos non potes fieri , eos munificentiæ tuæ participes efficis , & beneficijs afficis . Solemne id tuum fuit , ſtipum affluentia ſubleuare miſerias, & erga miſeros omne miſericordiæ genus exercere . Hic hic Romæ luculentum ſpecimen huiuſce beatæ pietatis præbes, cùm ſtatis ſæpe diebus è condicto domum tuam pauperes conuolant , in quos diluuium nummorum incidit : argumento cœlum te eſſe , quòd ex alto eleemoſynis pluis . Quid de magnitudine animi commemorem? Recta tua corporatura , erectum collum , elatum caput illam venuſtè , decorèque ſignificant . Iuſta huius , quæ genuina Principum virtus eſt , totidem argumenta ſunt , quæ de tuo ſplendore , & magnificentia , tuorumque nitidiſſimo comitatu , domus ſuppellectili , repoſitorijs , & ornatu , curruum , equorumque paratu commemoraui . Eminet in his præclara generoſi-

tas, quæ ſummum Principem deceat, quæ tu tamen parua, & exigua æſtimas, & videris contemnere, & vnde alii admirationem eliciunt, inde tu ægritudinem capias: ceu pauca, & anguſta ſint, nec tuo excellenti genio aptè respondeant. Ita deſpicis, vt arguentis more increpes; cùmque plerique te prodigalitatis inſimulent, tu adminiſtros tuos parcitatis accuſas. In reliquis domibus laborant miniſtri, ne prodigi videantur; in tua ſatagunt ne illiberales appareant: horretur apud te parcitas, non amatur. Fateor quidem ingenuè, Excellentiſſime Princeps, qui apud te habito, quòd Magiſter Ethicorum ſum, timuiſſe ne virtuti temperantiæ noceres, quòd modum in expendendo, & donando minimè teneres, atque adeo à medio ad extremum prodigalitatis deflexiſſes: eòque me acriùs vrgebat cura, quòd videbam te non ſolum modum non ſeruare, ſed modo indignari, & nimiò plus largitati indulgere. Verùm cùm excuſandi te de-

ſiderio

ſiderio altiùs in animum tuum meas cogitationes demitterem, perſpexi tantam eſſe illius magnitudinem, vt gradus ille virtutis, in quo medio cõſiſtunt alii, tibi initium virtutis, imò & alterum paruitatis extremum exiſteret, quem ſi ſeruares, vitioſus, & auarus extitiſſes Neceſſe itaque fore ad alterũ prodigalitatis extremum vltra commune medium pergere, quod extremum pro medio tibi loco erat futurum: quia tuæ virtutis magnitudo extremum pro medio exigebat, teque Heroem eſſe declarabat. Alijs erant illæ metæ præfigendæ: tibi extra ordinem danda licentia, quæ vulgares limites tranſgrederetur, & vltra homines in Heroum te faſtigio collocaret. Decent te quidem virtutes, ſed Heroicæ: quæ te maiorem, quàm pro humano habitu teſtantur. Ac vti nemo vſitatum fortitudinis modum Herculi ponat, cùm Heros ille inuſitatæ fortitudinis ſit, ita & tibi Heroi Herculeo commune illud virtutis medium figendum non eſt. Sinamus ergo te Principem animi tui ma-

gnitudine frui, neque te regulis Ari-ſtotelicis metiamur. Demum mihi per-ſuaſi aliorum ornamenta aliena indu-ſtria parari, tua verò tanquam fru-ctum animi tui naſci, & ex innata magnitudine prouenire. Quid forti-tudo? Bellicam accepiſti cum ſangui-ne maiorum in venas, ſi ſe daret occa-ſio in aciem erupturam: cuius nobi-les quidam impetus extant, cùm in vitia iraſceris, ac in hoſtibus numeras, qui-bus cum aſſiduè bellum geris; non Martiale, ſed Pontificale, ſumptis armis virtutum. A belli alea remouit te Deus, ne nos tecum periclitaremur, quin & ſubtraxit materiam exercendæ in aduer-ſis perferendis fortitudinis, ne tecum affligeremur. Sola reliquit proſpera, vt te fortem in iis oſtenderes, vtendo iis moderatè: ne te lenociniis ſuis frange-rent, fractumque deiicerent. Illecebro-ſum hoc genus pugnandi: quo & Ale-xandri victi, & Cæſares. A teneris om-nia expertus ſecunda, primas fortitudi-

nis

nis habuiſti. Nemo vel ob id te vnquam elatum, aut inſolentem, aut arrogantem vidit. Partiri cum alijs felicitatem ſolitus, cùm fruenda ijs bona dares, quæ tua tibi merita contulerant, ne ſolus ijs potireris. Magna eſt fortitudo ferre aduerſa: maior, in proſperis non efferri. Minus fortis habetur, qui in bello comites habet: fortis eſt in ſecundis, qui ſocios ad fruendum adhibet. Attamen ne altera illa ferendi aduerſa fortitudinis pars deeſſet, ingenio effeciſti, compatiendo alienis; & quæ pati non poteras, ad te per commiſerationem trahendo. Itaque aduerſitates amicorum tuas feciſti, eò maiori fortitudine, quò maior erat dolor ex vulneribus amicorum acceptus, vnde acerbiùs torquereris. Hac arte vtramque faciem fortitudinis exhibuiſti.

Rigant hæc plantaria dotum aurea mirabilis eloquentiæ tuæ flumina, quæ vberem dictionis copiam in audientium coronam, tanquam in viridicatum pra-

tum per diuidicula castellatim fluentis eloquij diuortia deducunt, & in florescentes Suadæ toros inuergunt se se, & mellita nectareæ facundiæ frusta inuoluunt. Hac tu eloquentiæ amęnitate recreare solitus feruentem auditorum turbam, & addita diuina quadam energia corda percellere, & ad virtutes incitare. Extant tuarum monumenta concionum, omnibus & Atticis, & Latijs orationibus emendatiora. Quin huius tuæ eruditæ facultatis nuper egregium specimen præbuisti, cùm in funere Clementis Decimi coram Purpureo Patrum Collegio solemnem habuisti laudationem, cuius mira, & venusta structura in tres partes distributæ visa fuit. In prima condolentis iacturæ, in secunda exhortantis ad electionem, in tertia, pollicentis obsequia Principis Petri erga futurum Pontificem, veterum Portugalliæ Regum, quorum effusissima in Romanos Pontifices beneuolentia fuit, exemplis confirmata, personam egisti. Eum

tę

te Oratorem probaſti, vt grauiſſimo Senatus illius Purpurei iudicio omnibus abſolutus numeris videreris, & in linguæ peregrinitate Romanorum Principum, Oratorum Craſſi, Antonii, Sulpitij, Hortenſij, Tullii, nitorem, acumen, vim, leporem, vbertatem repræſentares.

Verùm enim verò iuſtitia eminet, ac extat maximè. Eius apud te bilanx in æquamento eſt: non inclinatur niſi quò meriti pondus vergit, citra gratiam, extra inuidiam. In te expertus, quid ſit iuſtè ornari, in alios ornamenta diuidis, & aſſignas merentibus. Extra ius precarium locas. Cum ſis indole maximè miſericors, ſicubi miſericordia opponitur iuſtitiæ, hanc illi præferre non dubitas illius peritus Canonis *Eſt iniuſta miſericordia*, quæ ſi nimia ſit, iniuſta efficitur. Hic eſt vbi decet eſſe non pium. Agis cauſas auritus, non oculatus. Vna apud te ratio valet, quantò minus ſpecioſa, & ornata, tantà magis placet, amaturque. In diſtribuendis præmiis, conſtituendis

ſup-

ſupplicijs nullum tuo locum relinquis arbitrio. Alienas ab eò iudicio voluntatem, & domi tuæ exilium ei indicis, & in tuo fundo ſolum vertit. Æquè ad Rempublicam pertinere putas benemeritum ornare, & malè merentem punire. Hoc vnum tantùm voluntati permittis, quòd libentiùs donas, inuitiùs caſtigas. Sequuntur hi affectus, non antecedunt juſtitiam; ſic obis iudicis munus, vt paſtoris oblitus videaris. Sumpta quippe iudicis perſona, amici deponis. Redux apud te habitare dicitur Aſtræa, ſecura iuris, certa domicilij, addicta perſonæ. Prudentiam quis tuam pro dignitate commendet? Hæc princeps virtus, Reginaque virtutum apud te, Princeps Optime, dominatur. Huic tu infans nutricandus, puer alendus, adoleſcens inſtituendus, vir erudiendus datus. Hæc te dignum omnium honeſtatum fecit; hæc vltra ætatem ad robuſtos honores maturum reddidit. Hæc te à corruptela ſeruauit, à cupiditate, à vitiis remouit. Hęc

in-

instillauit pietatem, infudit doctrinam, afflauit sanctimoniam, & ad omne virtutum genus formauit. Priuatus domum, & familiam sic administrasti, vt iam tum idoneum te fore ad politica quæque grauissima obeunda munera appareret. Constat ex Platonis Republica, qui Ethica, & Oeconomica prudentia valeat, plurimùm eum in politico regimine præstiturum. Quare nemo mirari debet tibi iuueni ante annos tantum à Sapientissimo Principe Lusitaniæ Petro Legationis Romam ad Summum Pontificem fuisse munus impositum, cùm præiudicatum afferres euentum ex alijs æconomicis, ethicisque officiis, quæ summa cum laude obieras. Itaque quæcumque gesseras antè, ea omnia erant de Legationis felicitate præiudicia. Nemo vnquam Legatus difficiliorem aggressus est prouinciam, tum propter rerum iniunctarum molem: tum propter occasiones, & momenta temporum: tum præcipuè quòd propter Sacerdotium du-

plex tibi erat agenda perſona, & Laici, & Epiſcopi: quæ cùm ſint inter ſe diſcrepantes, in te nihilominus ita coibant, vt ſeparari non poſſent. Verùm hæc quæ ardua videbantur, & aſpera, facilia & ſuauia tuæ prudentiæ opera reddidiſti. Retinuiſti, quod erat Sacrum, pro Dignitate Epiſcopi; quod erat Regium, pro Maieſtate Legati, vt nihil de vtroque detraheres, adderes tamen aliquid alteri, quod oporteret. Itaque diligenter obſeruaſti quatenus vtri ineſſet ad ſeruandum, tuendumque decorum. Ac primùm domum tuam optimè conſtituiſti, miniſtros fidos, ſolerteſque delegiſti: officia inter eos aptè deſtribuiſti, vt ſinguli ſua præſtarent; qui omnes tales eſſent, quos maximè honor tuus tangeret, ne quid inhoneſtum, ſordidumuè admitterent, è quibus æſtimari poſſet tua integritas, & virtus. Quod quidem ex ſententia contigit, vt qui eos videat, membra tui eſſe corporis putet, tuo capiti reſpondentia. Atque vti in ſymphonia

di-

diuersi vocum sonores suum seruant tenorem, eoque concentum suauem in auribus gignunt, ita & œconomiæ tuę diuersa officiorum ministeria dum ritè peraguntur, harmoniam quandam generant gratam intuentibus. Partes suas quisque agit, nec vsurpat aliorum. Discrimen confusionem, & inuidiam: & querelam tollit. Communio personarum est, officiorum diuersitas. Religio, ac pietas primas vendicat, easque affirmat modestia, & temperatio. Summa tui est obseruantia; Et, quod rara auis esse solet, maior in tanta vicinia reuerentia. Vix audiris, & tibi ab omnibus obauditur. Præuenit amor præcepta, & quod iubendum est, occupatur obsequio. Legem sibi quisque format ex nutu, & imponit tuo. Satis est vt pareant, si suspicentur quid velis. Viuitur domi tuæ sicut in cænobio: religiosa quies, sancta pax, altum silentium. Vna tantùm contentio est, de tua concilianda gratia. Certant omnes tibi placere; cùmque sciant

tibi diſplicere vitia, dant operam vt illis careant, ne te offendant. Hæc intra ethicam, & œconomicam. Politica ſunt illa; negotiandi vias inquirere, artes inueſtigare, ſcrutari opportunitates: pendere momenta temporum: periclitari miniſtrorum ingenia: affectus rimari: inclinationes, & propenſiones animorum obſeruare: cuncta ex antè meditata afferre: quæ in rem faciant explicare, & quatenus proficere, nocereuè poſſint attendere; eſſe in ſpeculis, ne quid excidat temerè, nec ſubrepat callidè. Si conſilio eſt opus, capere conſilium prudentum: ſi facto, exequi feſtinatò cum promptis. Moras nunc iniicere, nunc præcidere, prout expedire compertum ſit: interdum properare, interdum ſiſtere, interdum cunctari. Romæ Fabios, & Marcellos ex inſtituto agere; recordari, vtroſque ob moram, & feſtinationem patriæ profuiſſe: aliquando diſſimulare, ac ferre nonnulla, & aliquando in aſperis gratias agere: tenere tamen ſemper arcem libertatis, & Romanum

num Capitolium intueri, & Patritio more viuere, ac Vrbi ſuos priſci æui Legatos repræſentare. Illud ſingulare habet prudentia tua, vt quam alij, qui prudendentiſſimi habiti ſunt, ſine magna experientia, vſuque rerum præſtare non potuerunt, tu ſolo ingenio, & doctrina Romæ repræſentes. Talē te geſſiſti apud Clementem Decimum Pontificem optimum, & ſuauiſſimum: talem apud Innocentium Vndecimum integerrimum, & religioſiſſimum geris. Magna cùm tui, tum Luſitanici nominis exiſtimatione: quæ tanta eſt, vt ipſamet Roma doleat te externum eſſe, non ciuem, ac propè ſit vt te Luſitaniæ inuideat, quòd nouit in Luſitano homine Romanas eminere virtutes, quibus ſi æſtimandus ſis, Romanus potiùs Ciuis, quàm externus eſſe videaris. Maiores quippe ſunt virtutes tuæ, quàm vel opinio fingere, vel votum optare poſſet. Cùm niſi te prius natum ad eas, factumque videremus, minimè certè ſimilem fingere, vel optare auderemus. Non


enim

enim erant apud nos ea lineamenta, imaginesque perfectionis, cuius tu ideam continebas: itaque multo es re compertus, quàm cogitatus præstantior. Nouerit igitur vniuersus Orbis: ac in eo Roma, vel ille Romæ, in Lusitania tua viros nasci omnium gentium Heroibus pares; quique & priscis Romanis, & recentibus, quantacumque ij virtute excelluerint, sint proculdubio æquiparandi. Horum vnus es tu, Excellentissime Princeps Ludouice, quem nos cuilibet ex ijs ab alienis ex aduerso pari constituto, parem fidenter, ac fortiter opponamus, nec de victoria desperemus.

DIXI.



DE ELOGIO.



Logia ego Panegyricos in gradus coniectos, & contractos puto: actos in Scalas, per quas planum iter gradatim conficitur. Itaque mutatur positura, via relinquitur. Verùm arridet mutatio legentibus, quòd varietas delectat, & breuitas placet. Nemo non experitur leporem scalaribus inesse periodis, & concisos per commata, & interualla numeros sonare suauiùs. Quemadmodum in hortis, & Viridarijs apprimè cultis coniecta in areolas olera amæniùs virent, & florum thori per incisuras terræ in puluinos assurgentes hilariùs rident. Hinc styli tor-

a nati

nati venustas, & castigatæ phrasis lepor existit. Insunt verba acuta, quæ feriant; lecta, quæ placeant; illustria, quæ splendeant. Olim inscriptiones & Epitaphia potiùs, quàm Elogia, & vsurpata, & inscripta, solita in Defunctos conferri, quorum maior apud priscos in laudando, quàm viuorum ratio habita: quòd mirandum est maximè, cùm ab hominibus fide carentibus tot, & tanta in mortuos ornamenta collocarentur: nisi fortè quòd Resurrectionem ignorabant, ijs monimentis claudere vellent animorum æternitatem: quos Christiani, qui immortales credimus pijs, & sacris prosequimur officijs, alia monumenta minus curamus, & parum iuuari eos caducis, & perituris insignibus arbitramur. Ad institutum. Copiosa Elogiorum turba tumultu veluti quodam litterario errabunda in hanc nostram ætatem incubuit. Quotus enim quisque litteratorum est; cuius occupatio non sit Elogiorum constructio? quibus non modò ornantur mortui, sed etiam celebrantur vi-

ui,

ùi, & *vtrique ſcripta mole fatigantur. Integri eorum libri extant*, & *in librarijs Tabernis proſtant*, *eoque nomine plerique ſcriptores commendantur. Nec nos iſtud ſcribendi genus prætermiſimus. Scripſimus pleraque tùm ſolitaria, tùm alijs ſcriptis annexa, præſertim ſcholaſticis poſitionibus palàm in gymnaſijs ventilandis. Duo*, & *quidem prolixa magnos clamores fecerunt: alterum D. Auguſtini libro de* Cortina *præfixum, compoſitum Pariſijs: alterum Venetæ Reipublicæ Epico de Victoria* Nauali Poemati *ſubiunctum, ſcriptum* Romæ. *Quin* & *ſepulcralia plurima edidimus ad formulam priſci æui à Briſſonio expreſſa. Primus fui qui ſolemnem veterum inſcriptionem* Diis Manibus Sacrum *à noſtris piè conuerſam in alteram*: Deo Opt. Max. Sacrum *religiosè mutaui*, & *aliam nouam*, & *inuſitatam induxi*. Primogenito Mortuorum Sacrum*: quam probari magnoperè vidi admiranti Alexandro VII. Papæ, Viro inter alias præclaras dotes latiniſſimo*,

 cùm

cùm legeret Epitaphium à me constructum Patri Hilarioni Rancato Abbati Cistercienſi doctrinis, & virtutibus celeberrimo: cuius ego præſentis laudationem habui apud Sanctam Crucem ad Hieruſalem Romæ. Quæ formula Epitaphij deinceps in ſcholis humanioribus inualuit, quòd Deo Opt. Max. *nihil cum mortuis commune eſſet. Eſſet autem proprium maximè* Primogeniti Mortuorum *illud morientis debitum, & funeris officium. Huius me generis vnum pangere memini Illuſtriſſimæ D. D. Mariæ Ataydiæ Virgini* Palatinæ *Luſitanæ, immatura morte præreptæ, quod habitum in pretio fuit, mirè commendatum ab Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo D. D. Ludouico Souſa Regio poſteà Archiflamine, nunc Archiepiſcopo Vliſiponenſi, Viro totius gloriæ capaci, virtutum ſpeculo, compendio honorum, cui omnes excelſæ dignitates aſſurgunt, quod palam recitare cum admiratione ſolitus erat.* Illud *ego hic exhiberem, ſi haberem ad manum, hoc tamen, & alia eiuſmodi neglexi, &*

amiſi

amissi præ copia. Pauperis est *quippe* numerare gregem. *Ego abundaui* (*vtpote qui vnũ in libellũ multa hoc titulo* Elogia Gallorum *conieci, cùm Aquis Sextijs nobili*, *& nitida* Prouinciæ *Vrbe cum Legato Lusitaniæ commorarer*); *sed copia penuriam fecit. Nec me propterea laudo, non enim vendito elegantiam, sed excuso incuriam. Cæterum Elogiũ pro testimonio accipitur, & in vtramque laudis, & vituperij trahitur partem: sed in meliorem frequenter, in deteriorem rarò. Illud interest inter stylum Elogij, & Epitaphij, quod hic sit grauis, & seuerus, & paucioribus verbis, ac fermè solemnibus antiquitatem redolentibus constet. Ille floridior, & liberior verbis elegantibus, & sententijs splendidis, alijsque Rhetoricis luminibus abundet. Methodi, ac formulæ apud me Elogiorum specimen habes in Elogio Regis* Galliæ *Ludouici XIV. Purpurati Patris Nitardi, Magni Ducis Etruriæ, & inaugurati Ducis Nicolai Sagredi: quæ video in vulgus probari. Hoc tibi de nouo*

ex-

exhibeo; in quo luceat, quod ſit meum de huiuſmodi compoſitione iudicium. Lege. Scalares ſunt periodi, gradus leues, & molles, facilè ac tutò iter conficies: ſed numquam peruenies ad culmem, quod extra omnem ingenij aleam poſitum eſt, propter excellentem Viri virtutem, dignitatem, quò vetitum eſt vulgari eloquentiæ poſſe accedere. Scio duo iampridem à me deſiderari: alterum quale ſit meum de homine latine loquente, ac eloquente iudicium: alterum quale ſit de me, meaque latinitate aliorum opinio? Quòd attinet primum, dico. Qui Ciceronem induat, & imbibat, eum omnes elegantiæ formas calleat neceſſe eſſe, ac Ciceronem qui præſtet omnes alios præſtare poſſe: ſecus autem non poſſe; idque ego experientia, ni fallor, didici. Quoad ſecundum, tribus narrationibus, nec longis, nec illepidis rem conficio. Prima eſto: Cùm ego compoſuiſſem tomum De Iure ſuccedendi in Regnum Luſitaniæ, dedicaui Cardinali Richelio, illi, illi Galliæ Lumini. Placuit hæc epiſtolā ire viris Gallicanis, id eſt latiniſſimis, adeò vt cum poſtea Aquas

Sex-

Sextias venissem, celebratum ob id meum nomen inuenerim, audierimque ab Archiepiscopo Ludouico Bretelio integerrimo, & doctissimo viro, hoc de me ipso Elogium: Gloriare, *inquit*, quòd nostrates tanti faciant elegantem istam epistolam, vt non modo probēt, & admirentur, sed horum etiam nonnulli integras ex ea particulas exscribāt, & in vsū suum vertant. *Secundam accipe. Cùm primum Rupellam appuli; incidi, in quosdam viros Parisienses planè eruditos, qui cùm me multa rogassent super Rege, & Regno Lusitaniæ liberato, ac ego promptè, & latinè respondissem, mirati ad me*: Non putabamus *inquiunt*, nasci in Hispania eiusmodi latinos. *Quibus reposui, etiam inter Hispanos reperiri eloquentes. Perrexi deinceps elegātiùs & expeditiùs loqui dedita opera, ut dicto fidem facerem. Duriusculè id accipere visi sunt, & secùs quam homines belli solent; donec vnus commotior*, Abi, *inquit*, Parisios, ac ibi inuenies qui tibi negotium facessant. *Cui ego*. Benè fero has, *inquam*, minas; nec erubescam ab Gallis, qui Troia oriun-

dos

dos esse se iactant vinci. Victus quippe illud recolam. Æneæ magni dextra cadis. *Obduco tertiam. Londini cùm Legati Lusitani à secretis latinè, ac interpres essem memini in Curia latiniùs, quàm qui erat Anglorũ interpres loqui. Pupugit hoc Senatores. Vt mihi parem opponerent, quæsierunt latinissimum Iuuenem politum scriptorem, cuius elegans maxime historia habebatur; eumque in Curiam extra ordinem aduocarunt, vt mihi responderet. Congressi eo euentu, vt mihi ille omnium confessione concederet. Dimisso Senatu, vnus, qui doctior habebatur ad me*, Scias, *inquit*, nos Anglos elegantiùs scribere, quam loqui. *Cui ego*, noueris, *inquam*, nos Lusitanos æquè eleganter scribere, ac loqui. *Prodijt in vulgus dictum, & clamores fecit.*



ELOGIVM

IN EVNDEM.

Tibi, ò Ludouice, Archipręsul Illustrissime,
Orator Regij Principis Excellentissime,
Tibi vni, quòd Phœnix:
Principi, quòd Primas:
Splendido, quòd Sol,
In Solari Sousarum familia,
Cui Diem
Lupus Dies à Sousa
Octauus Auus tuus,
Ceu Sol intulit:
Tibi
Ingenij acumine præstanti,
Quòd Aquila:
Omnium doctrinarum perito,
Quòd Encyclopædicus:

ELOGIVM.

Præclara indole celſo,
Quòd magnanimus:
Ad cuncta ſublimia nato,
Quòd maximus:
Tibi ſummæ votorum:
Compendio virtutum:
Theſauro litterarum:
Cumulo dotium:
Aceruo meritorum:
Scopo dignitatum:
Admirationi famæ:
Incitamento gloriæ:
Tormento inuidiæ:
Tibi
Hoc Elogium nuncupatur:
Qui expectationem viciſti,
Opinionem ſuperaſti.
Qui niſi viſus eſſes, incredibilis viderere,
Quòd nemo auderet
Aut tam perfectum ſperare,
Aut optare, aut fingere
Qualem
Tu te eſſe probaſti.
Qui reapſe affictas Heroibus virtutes
Quas

Quas comminiſci Poetica ſolet
Oculis exhibes.
Cuius maiora ſunt vera,
Quàm illorum ficta.
Cui detrahi laudando poteſt,
Addi non poteſt:
Periclitante eloquentia,
Quòd æquare nequit,
Quem ornare inſtituit.
Imo & erubeſcente Poetica,
Quòd ſibi ſit ſubtracta
Materia fictionis.
Tibi vni contigit exanimare
Pictores:
Qui cum Te pingere volunt,
Nec poſſunt
Conſumpta ſpe delineandi
Deficiunt:
Et dum lineas impares ducunt,
In vltimam lineam
Rerum mortem,
Præ deſperatione incurrunt.
Accidit, quod lapicidis vſu venit,
Qui dum moliuntur montes,

Ipſorum mole obruuntur.
Hic non patitur deſcriptionem,
Non fert imitationem.
Admirationis capax eſt,
Et Adorationis.
Alij ſubtiles ſunt: tu verò
Ipſa ſubtilitas.
Alij docti ſunt: tu ipſa
Doctrina.
Numerantur aliorum dotes:
Tuæ
Nequeunt numerari:
In virtutibus normam retines:
Menſuram excludis.
Omnes capit, & exigit capacitas
Animi tui.
Ægrè in moribus fers mediocritatem,
Heros
Amas Heroica.
Genius tuus generoſus
Moderatas virtutes
Vix patitur.
Tantus es Theologus, vt morales
Theologicas reddas,

Sine termino
Æuiternas.
Quantum abeſt à vitio, qui extrema
In virtutem vertit?
Ferax ingenium tuum, ac multiplex
Vniuerſas
Protulit ſcientias.
Conimbricenſis Academiæ Cathedræ
Singulos ante Te Doctores
Expertæ:
Te nactæ, vni ſe Tibi omnes
Moderandæ tradiderunt.
Gradus alii ad culmen per ſubſellia,
Tu per Cathedras
Feciſti.
Scalari more Gabrielis, Durandi,
Scoti, Thomæ, Magiſtri
Cathedras præcurriſti:
Aſcenſu perpetuo, & miro,
Nullo admiſſo deſcenſu.
Ita docebas, vt cunctorum ingenia
Præ te ferres.
Gabrielem acumine,
Durandum pondere,

Sco-

Scotum ſubtilitate,
Thomam ſoliditate,
Magiſtrum grauitate
Repręſentaſti.
Ita ſingulos retuliſti,
Ceu reliquos videreris
obliuiſci.
Ita omnes rediddiſti
Ceu ſingulos reminiſci
Videreris.
Tu primus es, cui nocuit
Magnitudo virtutum:
Quod deterres præmia
Inæqualia meritis futura.
Prope eſt vt te deſtituant
Dignitates.
Quòd cùm ornatum te veniunt
Dum impares accedunt,
Dehoneſtari videntur.
Laborare videtur Diſtributiua iuſtitia
In proportione ad tua merita
Indaganda.
Pauidi cunctantur honores
Conſcij

Suæ

Suæ exilitatis,
Ingenioſo timore vſi
Effecere aſtu,
Vt ornare te poſſent.
Conſpirarunt multi, & vnà
Confluxerunt,
Vt numero penſarent
Paruitatem.
Leuiores pro grauitate dotium ſinguli:
Sed cumulo multi grauitatem fecerunt.
Cathedra in Academiis vna
Satis eſt aliis.
Septem tibi obtigerunt.
Epiſcopatu alij fruuntur vno,
Tu
In vno Archiepiſcopatu multos
Includis:
Dum Primas inferiores
Contines:
Brachara tibi Auguſta
Affirmat imperium.
Iam anteà properarant dignitates
Vt te ornarent,
Solicitæ de loco, ne ſi tardæ venirent,
Et

Et locum, & opinionem
Amitterent.
Cùm virtus festinaret, non erat expectanda
Ratio temporis.
Regimen Collegij Sancti Pauli
Regimen aliud
Academiæ
Prouocauit, ne simplex esset.
Lentorem honestatibus adimebat pudor.
Properare, cumulari.
Deputatus: Inquisitor:
Honorarius Cortinarius,
Momento extitisti.
Momenta honorum multiplicatis
Pręmiis pondus iustum
Attulerunt.
Id mirabile: quòd cùm ultra terminos
Mortales creueris
Cuncta tibi incrementa debeas:
Gratiosissimus cùm sis, nihil tibi
Humana
Contulit gratia.
Tam in te quadrant ornamenta,
Vt collata, videantur
Innata

Innata
Omnia virtuti aſſignas,
Nullum fortunæ
Hanc tuus vicit, & addixit Mercurius:
Rotam abſtulit,
Adegit clauum.
Proſpera expertus hactenus,
Adhuc
Aduerſa ignoras.
Hæc ignorantia conducit ad ſolidam
Felicitatem.
Ea tibi profecit, vbi minus valet
Scientia.
Vide quantus ſis, vt cùm ignoras
Sapientes vincas.
Mirandum, & illud eſt, Te
Sapientiſſimum
Tria ignorare potuiſſe
Ambitionem,
Infelicitatem,
Vitium.
Sed mirabilior es ignorando,
Quàm ſciendo.
Præſtat hic ignorare

Quàm ſcire.
Scientia Te doctum reddit,
Ignorantia beatum:
Tam abundas virtutibus
Vt quæ ex te redundant,
Alium beatum
Efficere poſſint.
Tantus es,
Vt tibi vnius ordinis
Honeſtates
Non ſuffecerint:
Capacior erat ſphæra tua,
Quàm vt Orbis
Eccleſiaſtici
Concluderetur
Terminis.
Gemuit Amplitudo tua
Intra anguſtias
Finium.
Dilatandi fuerunt:
Erupit in Externos,
Quaſi alienos:
Sed prouocata:
Ne videretur

In-

Intrusa:
Omnia tibi ornamenta
Abblandita,
Vt ea acceptares:
Ceu à te
Acciperent beneficium,
Non darent.
Nec tu recusare debuisti
Quæ veniebant
Lubentia.
Itaque vltra Illustrem
Excellens redditus:
Ne tua excellens virtus
Hoc titulo careret.
Extra ordinem Te excepit
Legatio
Ab Regio Principe
Imposita.
Ambiebant Sena Clementis X.
Romani Pontificis
Sydera
Quatuor Lunas tuas:
Quibus
Arcadicæ inuiderunt.

Bifrontem Ianum tempore
Egiſti Romæ duplici
Dignitate
Infulam Archipræſul geſtaſti:
Legatus
Coronam exhibuiſti.
Renouaſti priſcæ Romæ
Memoriam
Regij Sacrificuli.
Poſt exactos Reges
Citra ſuperbiam,
Extra inuidiam.
Pietatem cum maieſtate
Nobili fibula
Copulaſti.
Non tamen ſplendore Regio
Quidquam
Infulæ Sacræ
Luminibus obſtruxiſti.
Roma
Caput Mundi
Tui auida cerebri
Tantum caput
Ad pedum oſcula

Euo-

Euocabat.
Ingreſſus ea es pompa, ceu tecum
Capitolium traheres,
Ob ſpeciem
Triumphi.
Repræſentaſti in noua Roma
Veteris Romæ triumphantis
Imaginem.
Vrbẽ, quę omnibus ſpectaculo eſt,
Tu Tibi
Spectaculum feciſti.
Imo ea ſcenam ſe Tuæ exhibuit
Perſonæ.
Auguſtior ſibi eſt viſa
Cum ſe tui capacem
Vidit.
Parum eſt tumuiſſe te ingreſſo
Montes:
Tibi tumentes
Aſſurrexerunt,
Splendor perſonæ tuæ obtinuit,
Vt ex te aſtimarentur
Fabij, Camilli,
Scipiones, Marcelli.

Lar-

Largitas tua ſine vitio vicit
Prodigalitatem
Iulij, Claudij, Commodi, Heliogabali,
Caracallæ.
Incola Vrbis purpura exarſit
Deſiderio tui:
Niſi fortè illa nouum contraxit ruborem
Quòd te non amiciret.
Ambiendus eras tamen, priuſquam
Ambireris.
Veniret ornanda potius, quàm
Ornatura.
Supellex tua peregrina, innata
Romæ
Iudicata eſt
Magnitudini.
Hæc olim ex ſpolijs conflata gentium
Tua
Spoliato nemine
Pretioſior.
Effundens tua gratiam publicam colligis:
Corda hominum, cùm donas,
Rapis.
Innocenter tamen.

Tam


Tam es gratiosus vt Pompeium
Reipublicæ,
Titum Imperio
Restituas.
Obtinuisti vt Te recepto
Superbiret Roma:
Et quæ Regem superbum non tulit
Amat superbiam.
Miratur in externo virtutes Romanas
Non in exemplo,
Sed in Idea.
Ciuem suum Te diceret
Ni Lusitanum
Malles.
Illustrius lustrum conderet
Si te censeret.
Verum lustranda esset, vt tantum
Lumen acciperet.
Retineret Te nisi rea furti
Agi metuisset.
Inuitaret honoribus nisi præoccupasset
Lusitania,
Et carior tibi omni dignitate
Amor Patriæ esset.

Si

Si virtus tua impleret locum
Nullus vacuus
Inueniretur,
Ac præ te ferres
Immensitatem:
Si in tempora duci posset
Omnem mensuram excluderet:
Ac præstares
Æternitatem.



PRO EPICO SIVE HEROICO POEMATE



Trumque nomen perinde est. Hoc genus constat Hexametris. Omnibus præstat tum Elegiacis, tum Lyricis, tum Tragicis, nedum Comicis, quorum numeri vix apparent. Heroibus accommodatum, & aptum argumentis heroicis. Stylus sublimis, & plenus: numeri iusti, & sonantes. Et si enim versus extra rationem fictionis in qua sita poetices natura, sit, quemadmodum



modum nos olim in Poetica noſtra Scientia monſtrauimus, tamen congruum ſibi vendicat fictio heroica habitum, & veſtitum, pro dignitate materiæ. Hoc genus verſificandi vnicè nos amauimus, in eoque dominati ſumus, quòd ingenio ad illud facti videremur. Itaq; cùm primùm ad componendum, vel pueri acceſsimus ab heroicis nobis verſibus initium fuit. cùmque per omnes verſificandi formas calamum duxerimus, Heroica nobis, & frequentior vſu, & genio facilior extitit; adeo ut eam penè in naturam verteremus, ac demum vſu, & exercitatione effecerimus, vt ex tempore verſus heroicos funderemus, & quaſi in familiari ſermone haberemus; quod cum alias, tum in primis apparuit Madriti, Romæ, ac Venetijs in publicis actionibus, in quibus extemporali carmine etiam materia propoſita à nonnullis, quibus id incredibile videbatur, feliciter vſi fuimus, ita vt quod erat oblatum ſtatim verſibus conſequeremur, quod quidem experimentum palàm

ſam exhibitum fidem omnibus publicam fecit. Illud item nobis accidit, vt facilitatem, & vbertatem à pueritia tractam per omnes ætatum gradus ad hanc, in qua ſumus, decrepitam, integram tamen, ſimul cum illibata valetudine conſeruemus. Perinde eſt quippe nobis hodie octogenarijs verſu ſcribere, ac loqui, atque olim vicenariis, & tricenarijs fuit; atque vt Lectori morem geramus, gratumque faciamus, operæ pretium erit eum de Poetica, quæ nobis contigit, facultate, occaſione hic opportunè arrepta edocere.

Trienio ante pubertatem me afflauit Aſtrum poeticum. Primus Poeta extiti, quàm puber, & verno, & Latino Idiomate. Trahebar iam tum, & trudebar in carmina, vix mei per ætatem arbitrij. Oeſtrum, ac Enthuſiaſmum ſentiebam, & in poteſtate Apollinis, vel ignarus, eram. Apud Mondam fluuium reptaui per plectra infans, & cum Muſis in viridi amnis vitrei ripa luſitaui. Poeticas ſic ama-

ui delitias, vt in cupediis numerarim. In floridissimæ Vrbis pratis, Apis more, libabam flosculos, & succos numerosos in mella vertebam: dulciores tamen mihi erant bombi Apum, quàm faui mellis. Expertus sum, Poetam natura, & ingenio existere, non arte, & industria fieri. Id mirere: ipsammet Prosodiam natiuo quodam instinctu cognitam mihi, atque perspectam ante disciplinam fuisse; noueram discernere inter breues, longasque syllabas certa quadam animo indita notione. Haud mentior. Memini complures, nec indoctos ioco dicere, me inter naturales venas vnam habere poeticam. Quò item spectat acutum, & festiuum dictum Lupi à Vega Carpij floridissimi Poetæ, quo familiariter vsus fui Madriti: Cæteros Poetas in potestate Musarum esse, earumque alumnos dici; earumdemque cognomine appellari, me verò contrà easdem mei iuris fecisse, atque adeò de nomine appellandas meo, nec me cognominandum *Macedum Musarum*, sed contrà *Musas Macedi.*

cedi. Eo impetu ferebar ad carmina quo ille diſcipulus Auguſtini, Licentius, quem poſteà cùm Auguſtini diſcipulus eſſe cæpi, ex poetico ardore agnoui, atque ob id ab Auguſtino reprehenſum: quod ego tamen vitium vitaui, cùm Auguſtini doctrinæ Theologicæ totum me dedidi, & pruritum illum verſificandi abieci. Bibi in patrijs, qui pellucidi ſunt, fontibus, primum omnium ex Magiſtri inſtituto Ouidium; ſed citò me rapuit Virgilius, quem memoriter palàm recitabam anno ætatis vndecimo. Hic ita me cepit, vt deinceps mei iuris non fuerim. Adultus operam dedi Horatio, Propertio, Catullo, Tibullo, Ouidio; Senecæ, & Melicis tum Latinis, tum Græcis. Omnes euoluebam, ſed vnus me tenebat Virgilius, nec omiſi Homerum accuratè legere. Dedi tamen primas cum Scaligero, Cerdaque Vigilio. Erant mihi præterea aſſidui Statius, Claudianus, Lucanus, Silius Italicus ex antiquis: Vida Sannazarus ex nouis. Verùm omnibus antepoſui Virgilium, quem in delicijs habui.

bui. Apud alios diuersabar: in hoc habitabam. Hic meus ocellus, meum corculum, meum delicium fuit. Legebam alios, & transibam. Virgilius me legentem cepit, & tenuit. Multa scripsi, & melica, & lyrica, secutus Lyricinem Venusinum, & Anacreontem. Multa Pentametra, siue Elegiaca more Ouidij, Propertij, ac Tibulli. Ouidij vbertatem, Propertij venustatẽ, Tibulli concinnitatem imitabar: plurima tamen Epica extiterunt: ad quæ natura me, ac genius ducebat, & amor in Virgilium meus incitabat. Quare, in hoc præcipuè versuum genus incubui, in eoque sum, vt anteà dixi, dominatus. Confer meas Odas, & Elegias: non tibi, opinor, illæ displicebunt, sed Heroica omnino satisfacient. Nam vt sint elegantes inter alias Odes: Lyra Barberina, Nauis Barberina, Purpura Farnesia, Nænia Spadæ, & quattuor quas in Valle Rosarum purpureo Ignatij Azeuedij, & Sociorum pro Christo effuso sanguini consecraui, quæ celebrantur à doctis, non sunt certè cum

meis

meis heroicis comparandæ. Rursum; vt sint venustæ Elegiæ duodecim de vita Magdalenæ, septem in funere Francisci Mendozæ, vna de Martyribus, altera de Alexandri Villa, alia in exequiis Natalis Rondini: ac in primis descriptio Sanctæ Baumæ, siue speluncæ Magdalenæ, ac duę recentiores Epistolæ Marci ad Petrum, & & Petri ad Marcum; quibus annumerãdæ illę quæ Threnos Hieremię tenerrimis sensibus exprimunt, & illa, quæ Psalmum quinquagesimum mollissimis elegiacis redit, quibus arrident eruditi, facilè opinor, cedunt heroicis; quorum quòd propè infinita sunt; Numerem eminentia. Extat vna *Apotheosis S. Xauerij*: altera *Apotheosis Sanctæ Elisabethæ Reginæ Lusitaniæ*: *Apes Barberinæ*: *Laurus Harcurctica*: *Acrocma Principis Condęi*: *Triumphalis ingressus Romam Marchionis Fontenæi*: *Tropheum Epicum Venetorum*: *Pompa Triumphalis Alexandri VII. Coronati, triplici descripta Poemate, stylo triplici Virgiliano, Statiano, Claudianico*: *Votum poeticum, siue*

Pompa

Pompa Legati Lusitanici Marchionis Minarum Romæ; Equus Ludouici XIII. Equus Capitolinus Marci Aurelij: Roma, in quo Roma vetus, & noua accuratè describitur: *Epithalamium in Nuptijs Ferdinandi Menesij, & Leonoræ Noroniæ Comitũ Eiriceiræ* in Lusitania, alterum *Nicolai Contareni, & Cæciliæ Grimanæ* Venetiis: *Poetica descriptio Villæ Iucorum* prope Aquas Sextias; *Aula, & Silua Venatica Regij Sabaudiæ Ducis*, quæ duo Schediasmata vetiùs dixeris, & tandem tria grauissima, & Sacra Poemata, vnum *de exposita palàm ad quadraginta horarum supplicationem Eucharistia*, alterum *de Christi Crucifixione*, tertiũ de *S. Catherinæ Martyrio*, & quartum de *Cathedra Sancti Petri* erecta ab Alexandro VII. quattuor Ecclesiæ Doctoribus Atlantico more sustinentibus imposita. Hæc ex immensa propè Poematum nostrorum congerie Selecta commemoro. Sed piaculum esset omittere illam descriptionem Villæ suburbanæ Madritensis vulgo *Buen Retiro*, quæ tria

ver-

versuum millia continebat, cuius tantùm extat autographum in Bibliotheca Comitis Ducis Oliuarii, cui eam dedicaui, nullo alio exemplo relicto, quod maximè doleo, metuens ne aut iam sit corrosa, aut prorsus corrodenda blattarum, & tinearum denticulis. Et quamuis maiorem vitæ partem in grauioribus studiis consumpsi, numquã tamen à scribendis huiusmodi operibus poeticis abstinui, impulsus aut imperio maiorum, aut precibus amicorum, aut studio gratificandi Patronis; quæ me causæ à maioribus sæpè curis auocabant, & horas hinc inde succidebant. Huiusmodi est hoc quod legis Poema. Nec enim potui illud non edere, cùm Romæ nuper fuissem, apud Illustrissimum, & Excellentissimum Legatum, vt maneret aliquod meæ erga ipsum gratæ pignus, & testimonium voluntatis. Ille nobis hactenus versificandi cursus fuit. Hic terminus fortassis erit, non quòd aut vena deficiat, aut genius aborreat, sed quòd alienum videatur ab homine iam decrepito canere, ac versificari.

Itaque

Itaque hoc nouissimum duco. Nisi quod superest euulgandum opus mirabile, scilicet versio latina poetica insignis operis Ludouici Camonij Lusitani vernacula lingua compositi de Indica expeditione à Vasquio Gama Illustrissimo Lusitanorum Argonauta auspicijs Regis Emanuelis suscepta, & confecta; quod opus Decem apud Auctorem Cantibus (ita vulgò dicunt) continetur. Hanc ego Parisiis hortatu Vasquii Aloysii à Gama, quinto ab illo Nepotis suscepi, & inchoaui, ac nouem mensium spatio, vt iustus esset partus, absolui: nec mihi data est copia emendandi, nec recognoscendi: sed nouum opus non molior, cùm à me iam sit compositum, & perfectum, tantùm est ad incudem reducendum, & emendandum, vt typos mereatur. Decem fermè millia sunt versuum, quæ singula latina singulis vernaculis (quod improbi laboris fuit) ex aduerso respondeant. Amor me Patriæ vrget ad euulgandum: vt norit Orbis Principem extra Græcam, & Latinam linguam Poetarum apud

Lu-

Lusitanos esse, nec excipio florentissimos inter Italos Torquatum Tassum, & Ludouicum Ariostum: idque à me auidè expectant, & enixè contendunt Lusitani mei. De quo Poeta præstantissimo audi quid senserit is, quem superius commemoraui Lupus Vega Carpius viuum Musarum Oraculum, qui palàm in Academijs & circulis Madritti contenta voce dicere solitus erat; Camonium in Lyricis omnes superasse: in Heroicis à nemine fuisse superatum.

Verùm enim verò quòd ad stylum attinet: grandis, sublimis, ac numerosus mihi veluti à natura insitus placuit. Versus humiles, exiles, depressos, & tenues fastidiui: Soccos in hac scena despexi, Cothurnos, eosque elatos amaui. Impetus, & enthusiasmos passus Cumæam Sybillam retuli. Experieris arduos Phaetontis nisus, sed extra ruinam, & audaces Icari conatus citra casum. Solis, ac Dædali non immemor, & nitor & euolo. Cum Virgilii maiestate Statii furorem: Lucani æstrum: Claudia-

ni enthusiasmos coniungo. Id tu in hoc Poemate deprehendes pro rerum varietate. Contigit mihi in hoc Poetico puluere Entellum, in extrema senectute validum pugilem repræsentare, qualem lib. 5. describit Virgilius. Illo tamen excepto

Sed enim gelidus tardante senecta
Sanguis hebet, frigentq; effætæ in corpore
vires.

Ego quippe contra oppono

Nam meus ebullit nondũ tardante senecta
Sanguis adhuc, sanoq; calẽt in corpore vires.



IN EVNDEM POEMA EPICVM, SIVE HEROICVM.

Verte aliò, Sol verte faces, currusque micantes
Verte aliò, licet Eois rediuiuus ab vndis
Nocte feras labente diem, tenebrasque resoluas
Luce triumphali. Victus modò cede relicto
Imperio Cœli. Sol clarior imminet Orbi
Ortus ab Occiduis Princeps Aloysius oris.
Latiùs hic spargit radios, & lumina fundit
Splendidus, & nullas patitur nigrescere noctes,
Nescius eclipsis, defectusque inscius, orbe
Perpetuùm lucente nitet, rutilosque nitores

Explicat, & solidis splendoribus aera complet.
Hoc sub Sole licet Stellæ tibi sumere partes,
Et mendicato clarescere lumine: tantus
Et nitet, & radiat. Viden? vt de stirpe dierum
Principium rutilante trahit? Cerno ire quaternas
In clypeo mixtas Regali Stemmate Lunas.
Luna tibi satis vna soror, variabilis orbe
Ancipiti: quadruplex format tibi Cynthia quadrũ
Firma, tenaxque sui, quino quod vulnere sacrat
Stemma Crucis, Lysij pignus venerabile Regni.
Sed maiora cano: sint hæc aliena vetustæ
Ornamenta domùs, quæ fœta Heroibus ardet
Ignibus astriferis, Stellasque in sanguine voluit.
Sousarum quem fama latet? quæ clara per Orbem
Emicat, & factis, & nomine fulget: origo
Est ignota tamen prisco circumdata fumo,
Transcenditque annos, certatque æterna videri.
Aureus hac trahitur Ludouicus ab arbore ramus,
Spéque, decusq; ferens; cùm primùm est editus, vnà
Cœ-

Cœleſtes fulſere faces, cunaſque iacentis
Stellarum cinxere globi: Lucina vocare
Pallada viſa Deam, meliori vt Numine fœtum
Excipiat, foueatque ſinu: via lactea ſuccis
Impluit ambroſijs, roſeos Aurora liquores
Miſcuit: hos teneris infudit Gratia labris.
Tunc ad Fata volant Charites, ad carmina Muſæ:
Alma Venus Charites: Muſas inuitat Apollo.
Ingenij dos prima fuit, quod præpete penna
More Aquilæ ad Superos volitantem ſuſtulit axes,
Doctrinæque dedit rutilantem figere Solem,
Arcanoſque ſinus Sophiæ, doctoſque receſſus
Palladis arguto ſpeculari lumine mentis,
Et tentare vias diſcendi, & quærere formas,
In quas ſe vertit vario Sapientia vultu.
Hoc tibi ſorte datũ: ſpatium omne implere docẽdi,
Et ſolidum ingenij metiri paſſibus orbem.
En quà Palladijs Conimbrica floret oliuis,
Vrbis Athenarum ſoboles pulcherrima, Regum

Regia primorum, ſtatio gratiſſima Muſis,
Feruet vbi ſtudiis Academia nobilis, vndis
Aſtriferis quam Monda rigat, tibi Laurea cingit
Docta comas, cathedraſq; iubet moderarier omnes:
Quippe venis vnus par omnibus, vndique fundit
Se ſe acies Iuuenum tanti ſtudioſa Magiſtri,
Atque aures, animoſque parant. Diuina videtur
Os cortina tuum, dum ſacra Oracula fundis,
E roſtris ſolitus folium recitare Sibyllæ.
Non aliàs tanto ſe Sole infundere Thomas
In Cathedram viſus, mentiſque expellere noctem,
Et præſtare diem: nec Scotus acumine tanto
Vſus in abſtruſi ſubtili indagine Veri,
Diſcordes animas in te coijſſe Magiſtro
Obſtupuit felix Academia; plauſibus ergo
Te celebrare nouis, & amore incendere laudes.
Nec ſterilis doctrina fuit, cumulantur honores,
Agglomerantque Apices; iuuenilia membra ſenile
Ornabat cerebrum, collecta ſcientia fructus

Mentis

Mentis maturos in acerba ætate ferebat.
Laſſarent alios decorum quæ inſignia collo
Impoſuit fortuna tuo: tua viuida Virtus
Inſtar erat Palmæ, quæ nixa in pondera ſurgit
Fortior, & ſurſum conata euadit in auras.
Concurrunt Trabeæ, Cortinæ: hinc Infula pandit
Lemniſcata toros: inde aurea tænia crines
Implicat, inque vnum coeunt Cimmelia corpus.
Ambitione tui ſurgit certamen honorum,
Ornat, & ornatur quicumque accedit, & vnà
Tu frueris, fruiturque decus; maiorque reſurgit
De meritis collatus honor, paruique videntur
Magni aliàs, puduitque ſui: menſura fefellit
Inſuetos tantæ virtutis, & indolis; olim
Aſſueti decorare pares, paribuſque micare
Luminibus: nunc imparibus veniſſe fatentur
Viribus, & proprios tanto ſub Sole nitores
Imminui, noctemque pati. Communibus ergo
Conſpirant ſtudiis anguſto excedere Regno,

Teque ornare foris. Vrbis tua digna theatro
Gloria visa fuit, totum quæ continet Orbem,
Et septem geminis incursat montibus auras,
Fusa sinus per vasta soli, perque ampla profundi,
Perq; plagas Superum, perq; ima abstrusa barathri,
Cui datur æthereas reserare, & claudere portas.
Illa tui venit vna capax: te prouocat æquum
Expandens gremium. Vis prouida Numinis egit
Regius vt Princeps (cui Lusitania paret
Regina Occeani, domitrix Orientis, ad Austrum
Et Boream diffusa plagas, Pelagique remenso
Gurgite, ad Occiduas inuicta reuertitur oras)
Petrus amans Patriæ, vigiles in pectore curas
Imperij versans, Legatum mittere Romam
Clementem ad Decimũ de summa, & cardine rerũ
Cerneret, ac reliquis Ludouice ex omnibus vnum
Te legeret, pacisque bonum, Sophiæq; Magistrum:
In quo summa fides, vis indolis alta, facultas
Ingenij, moresque graues, & conscia recti

Mens foret, & ſenſus iuuenili ætate ſenilis.
Sic placitum Superis; ſenſerunt Sydera numen,
Et cecinere omen; fauſtus portenditur Orbi
Exitus, Orator veniat ſi tantus ad Vrbem,
Orbis opus, dignum tali te munere dicunt
Ordinis inſoliti. Prouincia ſumma decebat
Atlantis validos humeros; ſed maior haberis,
Cùm Cœli ſit pondus iners, & corpore ſolo
Tantum Atlas ſuſtentet onus, nec mēte gubernet
Sydera: Tu contrà ſuſceptæ munera molis
Mente regis, verſaſque animo, tractare peritus
Grandia, conſilioque potens, & conſcius artis.
Paſtorem eximium Summi Paſtoris ad Vrbem
Regius ire iubet meliori ſydere Princeps.
Exultant proceres: hilari ſe Regia riſu
Explicat, & Populus concordi murmure plaudit:
Vna tamen lacrymas, magno concuſſo dolore
Iacturæ impatiens Lameci vrbs inclyta fudit,
Lameci, cui ſorte datum Paſtore beari

Con-

Conſpicuo, timuitque ſibi cùm vidit euntem;
Ne rurſum ad caulas, anguſtaque ſepta rediret,
Quòd non illa parem tanti ſe Principis eſſe
Nouerat: huic cedat namque integra Lyſia, cuius
Vrbs ſolùm Romana capax: moderata dolori eſt
Augurijs: fore Mercurium, qui rubra Galeri
Sydera geſtaret, Trino & Diademate frontem
Cingeret, & Superi portas reſeraret Olympi.
Quà Tagus auriferis Pelago ſeſe ingerit vndis
Vrbs antiqua iacet cuneato in littore, partim
Plana ſitu, quà mordet aquas, partim ardua põtum
Quà fugit, & terram maiori mole fatigat.
Altiùs hac ſurgens imæ ſupereminet vrbi
Nexa tamen pulchris conuallibus; vnde reſultat
Sectæ Vrbis iucundus honos, & grata voluptas
Luminibus variante ſitu: montoſa coronant
Culmina, ſepteno veluti diademate, Ciues:
Nam totidem fundit circùm Romæ æmula colles.
Fundamenta vrbi dedit, & cognomen Vlyſſes,
Nec

Nec minus illa potens armis, quàm Romula quōdā
Vrbs fuit Eoos extendens ſceptra per axes
Damnans Solis iter, quem linea ſola coercet,
Cogit & obliquo metuentem incedere curſu,
Quemque adeo geminæ certant concludere metę,
Hinc Caper, hinc Cācer, nec enim datur ire micāti
Vlteriùs: quinas audet tranſcendere Zonas
Paſſibus ampla ſuis Vlyſippo, neſcia fines
Imperij, metaſque pati: Sol horruit Hœdos,
Et Cancros; tumidos non horruit illa Leones,
Nec rabidas Tigres, nec turrigeros Elephantos.
Erigit illa caput peregrinis aucta trophæis,
Aucta opibus: iactat comercia nexa triumphis.
Arma ſimul, merceſque trahit: deſpectat inertes
Diuitias, lauros gemmis, palmaſque lapillis
Iungit honor; ſed prima Fides hortata remotas
Ire vias, penetrare plagas, & figere celſis
Culminibus vexilla Crucis, documenta ſalutis
Tradere, luſtrales animis inducere lymphas.

Illa vetus Regum Sedesque, & Curia, Regni,
Et caput, & Princeps, statio tutissima nautis,
Opportuna mari, Sceptroque innata profundi.
Hanc vitreis diffusus aquis Tagus alluit Vrbem
Amnis adhuc, nondum pelagus, sed proximus alto,
Salsus aquas, patiensque ratum, quæ mole superbis
Turribus assultant, fundumque immane lacessunt.
Ventorum furias solitæ ridere, minasque
Irati Pelagi, nec sydera dira timere:
Hæc igitur gremio venientem more parentis
Excipit expanso Ludouicum, prouida nauim
Cui ritè instructam naualibus antè pararat.
Afflarunt Zephyri, tumuerunt carbasa vento
Turgida: visa suis impellere sydera puppes
Nutibus, & rapidos substernere marmora fluctus.
Insolitum mare sensit onus, subsidere primùm,
Atque imum curuare vadum, mox surgere, tolli,
Et spumis ambire ratem, niueaque corona
Cingere, & instanti certatim alludere rostro.

Mox

Mox Tagidum chorus vdus adest, & turba sororũ
Nereidum, nauimque humeris deducere certant,
Digniùs vt, leuiùsque volet, Thetis incitat omnes
Ire pares, miscere vices. Galatea Riberam
Prouocat, inuitat Cyddipem Almadia, proram
Quatuor excipiunt, Spio, & Pampullia, Nise,
Atque Alfama leuant latera ardua, Cymodocea
Cassiliasque simul, Drymo, atq; Alcantara puppes
Impellunt. Nymphis ratis ancillantibus ibat
Per medium victrix pelagus, liquidosque tumores
Altiùs exurgens turrita mole premebat.
Nympharum simulabat aquis vectura triũphum.
Iamque adeo scopulos euaserat, & vada ponti
Libera nacta, sinus totis impleuerat auris,
Bætica cum Gades, Erythræaque littora monstrat
Terra procul, Calpemq; aperit, faucesq; propinquas
Herculeas inter pelago feruente columnas.
Africa ab Europa quo se discriminat arcto
Indignata freto, minor est distantia voto.

Votum, irasque tamen superat violentia ponti.
Hàc ratis ingreditur, cursuque inuecta secundo
Prouehitur: mittit noua flamina faustus Iapyx,
Fortunatque viam. Multos haud carbasa flatus
Pertulerant, celso cùm nauta è culmine mali
Aspicit ingentem contrà procedere classem,
Ceu cuperet passis venienti occurrere velis,
Exclamat: coiere omnes, studioque videndi
Impleuere foros: primum timor occupat artus,
Mox animos ea cura subit defendere nauim,
De Libyco fortasse mari si Punica classis
Arma gerens, studio prædandi aduersa veniret.
Nec suspensa diu tenuit sententia mentes:
Nam propiùs spatio consumpto gurgitis inter
Distantes positi, vexilla vndantia vento
Exposuere oculis plagarum insignia Regni
Stemmata Lusiaci, quæ Turribus aucta patebant.
Tunc verò exoritur festiuo murmure clamor
Nauticus: Orator venienti occurrere classi

Im-

Imperat: illa videns ſocia arma in mutua fertur
Gaudia, & aduerſam turrita mole carinam
Appetit; vt propiùs venit tormenta boatu
Grandia terrifico diſplodit, & excitat ignes
Innocuos, tonitruſque ciet per inane ſonantes:
Bombus aquis impactus agit per cærula fluctus.
Ludrica tempeſtas feſtiuo horrore per vndas
Diditur, atque animos mentito Marte ſerenat.
Circumfuſa ruit mox claſſis, & efficit orbem,
Et mediam complexa ratem reboante laceſſit
Murmure, quod pariunt caua viſcera Bõbardarũ.
Iamq; volant celeres hinc inde per æquora lyntres,
Inuiſuntque ratem: renouant comercia linguæ,
Atq; manus: amor ardet aquis, & feruida currunt
Officia, alternis patrio ſe more ſalutant.
Vtque ſatis fecere animis, votiſque potiti
Optatos portus, ventoſque precata ſecundos
Claſſis abit, panditque ſinus, & cærulą verrit.
At domus interior Pelagi concuſſa tumultu,
Et

Et turbata ſono, tormentorumque boatu
Excita terrifico liquidas exarſit in iras.
Fluctibus in medijs ſtudijs ardentibus acta
Vindictæ: licuiſſe dolent audacibus armis
Luſiadum tentare ſui moderamina Regni:
Nec ſatis Oceano dominari, à finibus Orbis
Occidui per Atlantis aquas Orientis ad oras.
Nunc auſu immodico violare, ac rumpere leges
Naturæ claudentis aquas in gurgite certo
Terrarum in medio, nato ad commercia gentis
Omnigenæ, auſuros ſtimulante cupidine contrà
Tendere, & Imperium Pelagi ſibi ſumere, & vltrà
Ire per abſtruſoſque ſinus, vetitoſque receſſus
Secreti Pelagi, ſcrutari arcana profundi:
Sedibus èque ſuis venerabile Numen aquarum
Pellere, & humentes ad ſicca extrudere Diuos.
Auſibus obſtandum; vires, atque arma paranda,
Infandumque ſcelus communi morte piandum.
Ergo ciet Neptunus aquas, concuſſa tridente

Æquora

Æquora ſubſultant : imi vis humida fundi
Prodit, & in fluctus paulatim exorta tumentes
Sulcantis pelagus tundit latera ardua nauis.
Hinc premit, hinc agitat, proræ ſe ſe obijcit ingens
Vndarum cumulus, roſtrumque auertit, & vrget
In latus aduerſum; nec rectà incedere clauo
Vel ſudante datur, ſæuitque, furitque procella
Grandior. Eiiciunt ſeſe furialia venti
Flamina diuerſis agitantis fluctibus vndas. (vrgent
Hinc Notus, hinc Boreas, inde Eurus, & Africus
Commotum Pelagus: montana cacumina fluctus
Aſſimulant, miſeramque leuant ad ſydera Puppim
Nubibus immixtam, nullo diſcrimine ponti,
Et Cœli: fluctus pariter iunguntur, & Aſtra,
Dantq; manus: ardent fulgetrę, ac fulmina: nimbi,
Et pluuiæ de nube cadunt : mox culmine ſummo
Deiicitur, præcepſque ſinus deſcendit ad imos
Ceu mediis tumulanda vadis. Elementa relinquũt
Naturæ turbata locos, mundique fatiſcit

Ma-

Machina, in exiguam conſpirant fata carinam.
Sola per immenſum pelagus iactatur, & vndis
Obruitur, torpeſcit iners ad munia clauus,
Nec potis eſt timidus torquere magiſter in vſus
Victus mole maris: languentia carbaſa malo
Applicita incumbunt rapidis ludibria ventis.
Stare immota, ſalus; contrà eſt mors certa, moueri.
Arbitrio ponti viduata relinquitur armis:
Voluitur hàc illàc, fertur quò pontus, & ira
Ventorum furioſa trahit; ſeruire profundo
Eſt tanti medicina mali. Periiſſet in vndis
Ni ſentina foret, rapido quæ concita motu
Hauſtibus alternis tantundem redderet vndæ,
Quantum rimarum Pelagi per aperta bibiſſet.
Iamque adeò propè naufragium ratis icta procellis
Ibat, & vndoſis iam montibus obruta mergi
Cęperat, egreſſę Genuę cùm ex ęquore Nymphę,
Quas inter Tagideſque vetus flagrauerat ignis,
Atque frequens per viua vſus commercia nauem

Agnouere ſuam, venientem à littore Regni
Luſiaci, ripisque Tagi: dolor vrget amantes.
Accurrunt, ventoſque vocant, & flamina ſiſtunt,
Æquora componunt; ponit furor, iraque ponti:
Tranquillantur aquę, pax redditur humida, ceſſant
Prælia, nauis agit pacata per æquora curſum:
Anteuolant Nymphæ, Genuēſia littora mōſtrāt,
Atque hilares proprios hortantur inire penates.
Vectores, nautæque metu, curaque ſoluti
Læta canunt, portumq; tenent, lautoque fruuntur
Hoſpitio, laſſoſque artus, & membra quiete
Feſſa leuant, dapibuſq; fouent, quas nectare condit
Vrbs Genuæ, Iouis ambroſios imitata ſapores.
Mirus amor Ducis, atq; Patrum per grata pateſcit
Officia, excipitur tota Legatus ab Vrbe,
Ceu Dominus, Princepſvè foret: feruentq; plateæ,
Et fora concurſu populi, ſimilemque triumpho
Inſtituunt celebrem venienti à littore pompam.
Impatiens tamen ille moræ retinacula ſoluit,

Cùm primùm flauere Noti. Secat æquoris vndas,
Quas natus Phaetontis amat: Tyrrhenaque verrit
Cærula contendens ad littora nota Liburni.
Verterat antè viam magno molimine fama,
Quæ magni dispersa Ducis compleuerat aures,
Principis eximij, nulli virtute secundi,
Quo maior splendore domus, atque indolis altæ
Culmine, consilij grauitate, & mentis acuto
Ingenio, Sophiæ studijs, animique vigore
Nullus in Europa regali è stipite surgit;
Largus opum, donisque fluens, sectator honesti,
Et recti, iustique tenax, lex integra morum,
Maiestatis apex, & Religionis imago,
Deliciæ populi, Superum cura, ardor Olympi.
Iusserat hic vrbis Præfecto è culmine turris
Subjectum pelagus speculari, vela per vndas
Si daret illa ratis, Lysioque à littore portet
Legatum: mox cuncta hilari quæ debita pompæ
Apparet, & nullis aut terra, aut marmore signis
Ab-

Abstineat. Vigil ergo mari dum incumbit aperto
Cernit inire viam vicina ad littora nauim.
Mox signo de turre dato tormenta boatu
Festiuo displosa sonant, & mutua reddunt
Murmura rostratæ quæ sunt per littora puppes,
Et quæ celsa micant per propugnacula turres.
Exilit in portus Vrbs tanto excita tumultu
Ingentem visura virum: naualis in vndis
Sylva viret, circumque ratem complexa moratur
More salutantis: mox soluitur, atque patentem
Dat studiosa viam, portusque inducit amicos.
Illa triumphali vehitur per marmora rostro,
Alludunt lateri crispatis fluctibus vndæ
Portandi cupidæ, liquidoque in gurgite miscent
Prælia: quæ propior, venit illa beatior; ardent
In gelido ponto tangendæ nauis amores.
Ingreditur Præfectus aquas, & lyntre superbit
Regifico, auratis castigans cærula remis.
Instratosque foros aulæis ditibus offert

Legato, inque ſinus venientem excepit ouantes.
Mox trahit in currum Magni Ducis, & vehit Vrbẽ
Per mediam, plebs tota viis feruentibus vndat,
Et lætum conclamat Io, ſpeciemque triumphi
Exhibet: hoc habitu palatia celſa ſubiuit.
Atque hic lautities, & pleno copia cornu
Fundit opes, aulæa nitent, fulgentque tapetes,
Auro abacus rutilat, lecti ſternuntur eburni,
Menſa epulis onerata gemit. Regale paratur
Hoſpitium tanto munus Duce, & hoſpite dignum
Legato; Præfectus adeſt, & iuſſa capeſſit
Principis, vt donec conſiſtat in Vrbe Liburni,
Donec & Etruſco caſunè, an ſponte moretur
Imperio, nullo patiatur viuere ſumptu
Priuato; expenſis alitur communibus vltrò
Exhibitis; ea lex tenuit, nec rumpere cuiquam
Permiſſum: arbitrio viuendum Principis, Vrbes
Per Tuſcas Legatus iter dum conficit; ergo
Ne pudeat, tentare viam conatur honoris,

Mu-

Muneris impatiens negat alto à Principe vinci:
Ingenio que vſus miſſis ad munera ſeruis
Talia dona dabat, quæ pluſquam accepta valerent
Xenia; re maior, ſpecie minor, æquus honore.
Nunc mea Calliope valido præcordia pulſu
Concutit, & ſtimulis ad carmina grandibus vrget.
Vena tumet, furor intus agit, vehementior vrit
Oſſa calor, maiorque animum Deus incitat œſtro.
Roma vocat, Roma illa vetus, quæ clara triumphis
Laurigerum mundo edomito caput intulit aſtris:
Illa recens, ſacros quæ jura extendit ad axes
Æhtereos, clauditque fores, reſeratq; ſupernas:
Summus vbi reſidet, qui ducit ouilia, Paſtor
Chriſtiadum, Chriſtique vices, & munia Petri
Suſtinet, & lumen doctrinæ, & regula morum.
Hanc Ludouice petis, lõgarum hæc meta viarum.
Mutuus aſpectus tenuit reuerenter vtrumque.
Tu procul aſpiciens ſummi faſtigia Templi,
Quæ ſe prima oculis ſpecies venientibus offert,

Religione loci, & secreto numine tactus
Exeris affectus teneros, & pectoris ignes
Per lacrymas, per vota, preces, suspiria prodis.
Atque fidem mentis, cordisque ostendis amorem.
Illa videns tanti Legatum Principis affert
Obuia complexus, gremioque inuitat amico.
Hìc septem gemini visi subsidere montes,
Et capita inclinare tuis obnoxia plantis,
Senaque Pontificis rutilare decentiùs astra,
Et signare viam radijs, quæ tendit in Vrbem.
Fama volat venisse Tagi de littore Petri
Principis auspicijs, & nomine; sanguine cretum
Regali, eximiis ornatum laudibus, Vrbem
Qui decoret splendore, opibus, pompaque triũphi,
Ferrea diuitiis qui tempora faustas inauret.
Intrantis species Augusta apparuit Vrbi,
Quæ sibi visa capax minus est pro mole triumphi;
Quæq; Orbem capit in gremio, nec cingitur Orbe
Imò sinu plures effuso amplectitur Orbes

Arcta

Arcta situs, angusta loci, spatiique maligna
Erubuit, doluitque vicem, quòd parua veniret
Ingenti mensura Viro, spectacula Scenam
Non habitura parem, laxandaq; mœnia, & Vrbis
Augendum gremium: rũpenda hoc viscera partu
Romula, ni properet priscos extendere fines.
Aspicias tota concurrere ab Vrbe quadrigas,
Et feruere rotas, scuticas resonare per auras,
Aurigas stimulare feros, impellere currus,
De primo certare loco, conferre iugales,
Et iuga dura iugis committere, & axibus axes.
Per fora, per plateas, per compita vulgus inundat:
Nobilior pars alta domus suspensa fenestras
Occupat, & pronos iacit ad spectacula vultus.
Fama erat eximios & forma, & mole parari
Cornipedes, quales Thebana ad prælia duxit
Amphiaraus equos, Rhęsusque ad flumina Troiæ
Ductor agens cupiit vetitis potare fluentis.
Pegasus inferior madidas his subderet alas,
Atque

Atque ſuo tumidus minor iret Cyllarus aſtro.
Nec minus igniferi rapitur queis Phœbus Olympo
Quattuor Eous, Pyroiſque, & Phlegon, & Æthon
Ambigerent victi ſolidam concedere palmam.
Conſpecti fecere fidem: capita alta ferentes,
Colla toris neruoſa tument, ceruixque reflexas
In latus inclinata comas ſpecioſa recumbit,
Pectora lata patent, nodoſo tubere ſurgunt:
Dorſum immane iacet, moles it carnea tergo,
Maior ineſt armis: turgeſcunt ilia: ſolùm
Caſtigata notis ſidit breuioribus aluus.
Pulcra feris ſpecies, ſed machina grandior extat
Gratior; obſtupuit pubes incredula molem,
Dum videt inter Equos etiam genuiſſe Gigantes
Naturam, creduntq; homines grandeſcere terris
Mole gigantea; clamant Elephantas ineſſe
Cornipedis, quin & turres potuiſſe videri
Si ſuper impoſitos Elephanti in prælia ferrent.
Qui vaſtos artus, immaniaque oſſa videret

In

In turres abiisse feros præ mole putaret,
Aut in Cornipedes turres transisse minaces.
Hos si nacta foret, cùm prælia mouit Olympo,
Montibus imponens montes Titania pubes
Vt premeret Superos, tantos deponeret ausus,
Et montes mutasset equis, quò scanderet Astra.
Caucasus ad scalas minor his venisset, & Atlas,
Paruus Athos, & paruus Erix, nec Pelios Ossæ
Impositus tantum, nec Olympus desuper Ossam
Additus ad Superos se tolleret, altiùs iret
Per iuga cornipedum, tumidorum turba Gigātū.
Nec propiùs tantùm, sed fortiùs arma moueret
Suppositis sublimis equis: hinc tela rotarent
Certiùs ex alto, subiectaque numina saxis
Obruerent, Sonipesque ferox & dente feriret,
Calcibus & peteret, cursu quòque præpete Cęlum
Tunderet, & fumo fuscaret Sydera, pulsu
Quadrupedante poli turbata refigeret Astra.
Tales Cornipedum facies. Quæ gratia currùm

Quæ ſpecies, quæ forma, noui ſit carminis ordo?
En data porta viam facit egredientibus aulam
Regificam, ſpecies oculos mirabilis implet.
Tergemini bijuges aduerſo in limine portæ
Ingentem per lora trahunt vndantia currum
Turris opus, ſudorem artis: ſtant ſigna metallo
E ſolido cælata, thoris extantibus errant
Per vaga Mæandri diſcrimina mille labores
Ionidum: ſyluoſa viret cæſura figuris
Aſpera, lenta manus viſu quæ mollia reddit.
Symbola conſurgunt. It Luſitania ſceptro
Inſignis, clauſamque gerens in fronte coronam:
Regnorum domitrix, circum quæ fuſa per Orbē
Protulit Imperium, circumſtant ſigna plagarum
Quattuor. Europæ prima eſt vbi Lyſia proles,
Imperat occiduas quà Sol decedit ad oras.
Africa mox nigrum caput exerit, exerit album
Terra Eoa ſimul, per quas circumtulit arma
Lyſia conſpicuis ſemper cumulata triumphis.

Viſitur inde alio diuiſa America tractu
Subdita Luſiacis ex parte accedere Regnis.
Has totidem ſignant ſimulacra expreſſa metallo
Surgit apex currùs: metas viden? ire quaternas
Floribus æratis, ridet quibus angulus artis
Conſcius, atque oculos ſpecie florente laceſſit.
Intus opum cumulus per gauſapa, ſerica clauſus
Obtegitur, cortina locum pretioſa recondit,
Et retegit: toto grauitas ſe regia curru
Explicat, Æthiopum proprio ſignata colore
Præſulis ad nutum, lucetque decentiùs auro.
Sex validis portatur equis, quos Cynthius optet,
Cùm primùm Eois caput exerit aureus vndis.
Mox alius ſequitur ſplendenti lumine currus
Fulgidus, & nitido totus circumdatus auro,
Blanditurque oculis: prora aurea, & aurea puppis,
Aureus & vertex, temo aureus, aureus axis.
Illo maieſtas, hoc ſe ſe opulentia iactat
Turgida, nil oculis fuluum niſi candicat aurum.

Sex alij iuga Cornipedes ſubiere priorum
Forma, & mole pares. It tertius ordine currus
Pulcher, & in viridi ſpes ridet amica colore,
Cornipedumque color ſpadiceus auget honorem.
Huic ſeni ſubduntur equi germana propago
Alterius, ridens cupit hic habitare voluptas,
Et Charites: tanta eſt venientis gratia currus.
Succedunt bijuges numero excedente marinum
Cùm ſe deuoluunt decumani ad littora fluctus.
Vno maior adeſt: tunc ſeſe aliena refundit
Turba ſuis diſtincta locis. It pompa triumphi,
Flos equitum, populoque gemunt vrgente plateæ.
Victor Io, tibi poſſe datũ ſuperare vetuſtos (phos.
Quos numerat victrix Vrbs Roma ex hoſte trium
Arma Togæ ceſſere tuæ; quod Tullius olim
Expetiit Patriæque Pater, Princepsq; Senatus
Nec tamen obtinuit. Fato tibi contigit vni
Ire triumphali Romana per atria Lauro,
Cæſareos vltra, Pompeianoſque triumphos.

Hac ſpecie, pompaque pedes Clementis adorat:
Hos ſibi conſtituit merita pro laude coronam:
Maior ab his pedibus ſurgit reuerentia, maior
Gloria, maior honor, Lyſio de ſemine Regum
Nomine quos genuit Lyſiæ terra inclyta Gentis.
Abiicit ad ſacras capitum diademata plantas:
Has erecta decent parta ex Oriente trophæa
Europæ decora, Americæ ſpolia ampla, triumphi
Quos peperit Luſis victoribus Africa tellus.
Hæc fuit vna ſalus, Lyſiis, & gloria rebus:
Nuſquam Romanæ tanta eſt reuerentia Sedis.
Excipit occurſum venientis ad oſcula Clemens
Cuius ab ore fluit prono indulgentia riuo:
Confirmata manu terraque, poloque potenti,
Quæque beat miſeras animas, & Tartara terret.
Inde viam repetit, propriamq; reuertitur aulam,
Et iubet appoſitis fieri conuiuia menſis.
Omnes conſpicui, lemniſcatique renident
Sacrati Proceres, vmbrarum nulla recumbit:

Ex-


Excessere loco: Legati splendor abegit.
Coguntur que Hecates ferali accumbere mensæ.
Hinc aulæa nitent, hinc peripetasmata fulgent,
Insternuntque solum villo fulgente tapetes.
Inde abacus rutilat gemmis instructus, & auro,
Candidus argento; pretioso ornata paratu
Mensa per immanem porrecta extenditur aulam,
Præda futura dapum, Cerealis scena theatri:
Certamenque gulæ: certat peregrina voluptas,
Et natiua suos epulis miscere sapores
Afficiuntque vagos variantia fercula gustus:
Condimenta tenent dubium diuersa palatum.
His nouitas externa placet, peregrinaque rident
Fercula, & ambitio per mensam excurrit edendi,
Nota, ignota simul: mandunt aliena putantes
Nata domi: monet insolitus sapor inditus ori
Erroris, tamen ille venit gratissimus error,
Proficiunt errando magis, fastidia nulla,
Tædia nulla nocent, saturos nec copia reddit,
Quæ

Quæ variat mutata cibos, elementa fatigant
Fercula, quæque ſuos vocat ad conuiuia fœtus:
Aer agit velucres, carnes terra, æquora piſces:
Ignis vti ſterilis, menſis & inutilis ardet
Inuidia; ſpondet tamen ille ad fercula flammas,
Seque vnum veſcas epulas, molleſque daturum
Dentibus elixas, frixaſque, aſſaſque calore.
Poſtquam viſa ſatis primæ conuiuia menſæ,
Succedunt menſę bellaria grata ſecundæ
Scriblitæque, offæque volant, & ſeſama ſuccis
Illita nectareis, mellitaque fruſta placentis
Immiſta ambroſijs: cerebrũ Iouis additur: omnes
Deliciæ, quas Luſa manus, Genuenſis & aptat,
Vrbs noua Romanas lances queis implet, abundãt.
Sacchara mixta pyris, maliſque infarta palatum
Decipiunt, virides vertendo in dulcia fructus,
Et mentita cient iucundos poma ſapores
Degeneres, præſtatque ſuas ſic fallere plantas.
Tempeſtas pretioſa dapum per guttura currit,

Perque

Perque gulas,agitans ſtomachos,nec deficit imber
Nectaris infuſi per pocula plena natantis,
Munus,amorque Dei:pateras it Liber in omnes,
Labra rubent,ſtat ſpuma ſuper,fingitque coronã.
Hactenus ò Muſæ licuit deſtribuere pompam.
Sat Citharæ,Plectroque datum;ſit menſa laboris
Meta mei, dulcis ſequitur conuiuia ſomnus.
Quæ geſturus erit Legatus grandia Romæ
Maiori ſunt digna tuba; me deficit ardor
Feſſum annis, ætate grauẽ,mortiq;propinquum.
Quòd ſi forſan erit tua qui præconia Princeps
Altiùs extollat, meliori & carmine cantet,
Haud me liuor edet, modò ſit tibi gloria maior,
Et te digna canat, grates, & dona rependam,
Atque lubens vincar,tamen hoc in pectore conde:
Ille meum vincet ſtudium, non vincet amorem,
Iamque vale; poſtrema cano,æternum que ſilebo.
Ite meũ Muſæ ad tumulum, atq;hoc ponite carmẽ.

Hæc cecinit Macedo Cygni morientis ad inſtar.


005613987

